VETUS LATIUM
PROFANUM
TOMUS QUINTUS

IN QUO AGITUR

DE LANUVINIS, ET ARDEATIBUS.

AUCTORE

JOSEPHO ROCCO VULPIO

SOC. JESU SACERDOTE.

PATAVII. CIↃIↃCC XXXII.

EXCUDEBAT JOSEPHUS COMINUS.

Superiorum Permissu.

EMINENTISS. AC REVERENDISS.

PRINCIPI

JOSEPHO RENATO IMPERIALI

S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO

Josephus Roccus Vulpius Societatis Jesu
Felicitatem.

QUOD *a* DEO OPTIMO MAXIMO *tacitis apud me votis semper optaveram, ut meum erga* TE, JOSEPHE RENATE *Cardinalis*

Ampliſſime, obſequium publico aliquo teſtimonio palam facerem, victuriſque & apud poſteros duraturis literis conſecrarem, Veteris id Latii deſcripta per me his libris monumenta tandem aliquando contulere. Quo nomine potiſſimum, me PETRO MARCELLINO CORRADINO *Cardinali Ampliſſimo plurimum debere plane profiteor; quod ipſe animum mihi ex propriæ conſcientia imbecillitatis vix audentem ſuffecerit, ut ad* TE, *Literatorum hominum communem veluti Patronum, meis hiſce libris appellandum, & in Præſidium eorumdem ac Decus optandum, accederem. Vix enim illi, utpote Primo hujuſce Operis Auctori, deſiderium, quo dudum te-*

ne-

nebar, TIBI *partem aliquam ſtudiorum ac laborum meorum dedicandi, ſignificaveram; & conſilium continuo meum non probavit modo & commendavit, verum ipſe ejuſdem mihi auctor locupletiſſimus ac lubentiſſimus eſſe voluit. Tuas namque virtutes, doctrinam, rerum pro Chriſtiana Republica fortiter feliciterque geſtarum gloriam, ſplendidiſſimorum magiſtratuum ac munerum, ſanctiſſime integerrimeque obitorum famam, ſanguinis denique & ſtirpis nobiliſſimæ, cumque Regulis quamplurimis, ac Dynaſtis, arcto conſanguinitatis vinculo conjunctæ, originem (quæ omnibus, ceteroquin, explorata, & perſpecta ſunt) ſe enimvero exploratiſſima, & perſpe-*

ctiſ-

ctissima, longo jam ipso usu habere, copiose testatus est.

Quas omnes præclaras excelsi animi Tui dotes, solidaque ornamenta cum semper suspexerim, tum vero in optima literarum, bonarumque artium quarumcumque, studia tutanda, fovenda, & promovenda; factum natumque ingenium Tuum, admirari satis, ac pro meritis prædicare numquam potui. Siquidem, non modo a teneris usque, & juvenili ætate (quod tamen per hæc tempora, quibus otio & negotiosis nugis, mirum quantum! indulgeri consuevit, perrarum est) assiduam omnigenæ literaturæ publice privatimque, operam, tam sublimi loco natus, navasti; verum arctam adeo

iis-

iisdem cum literis necessitudinem ex illo confirmasti, ut nullo umquam tempore, nec locorum varietate, nec rerum importunitate, nec munerum mole, nec negotiorum turba, nec denique ætatis ipsius ingravescentis pondere, quin fidissimæ lateri tuo semper adhærerent, umquam vel minimum impedirere. Quinimmo literis iisdem, TE *cum diuque noctuque mansuris, ædes ipsas Tuas, proprium veluti ac peculiare Templum, consecrasti: instructissimam, atque omni eruditissimorum rarissimorumque librorum genere affatim copiosam, Bibliothecam ipsis Sacrarium dedicasti: doctorumque hominum quorumcumque, tamquam literarum earumdem initiatorum ministrorum,*

rum, quotidianos, qui apud TE *agitantur, conventus, assidua quasi sacra, deputasti. Quamquam autem hæc ita sint; tantum abest nihilominus, ut domesticos intra parietes, vel uni tantummodo genti munificentia, liberalitas, cura, favor, ac patrocinium Tuum in optimis promovendis studiis se se probaverit; quinimmo gentium omnium, licet longinquissimarum, ac barbararum, studiis & conatibus, dummodo bonæ frugis aliquid protulerint, adesse* TE, *atque favere, beneficiorum vi obligati, literarii orbis vox una, eaque validissima, testificetur. Quapropter, cum, perenni ex benignitatis Tuæ fonte accepta, ingentia adeo & singularia beneficia,*

*cia, tamquam a beneficentiſſimo quodam numine patrata prodigia, omnes, maximi minimique prædicent; quod ille * de Aponi fonte Patavinis civibus meis ſaluberrimo, atque exinde omnium linguis celebratiſſimo, cecinit, uſurpare merito de* TE *poſſim:*

* Clandian. de Apono.

Cum tua vel mutis tribuant miracula vocem,
Cum tibi plebejus carmina dictet honos;
Et ſit nulla manus, cujus non pollice ductæ
Teſtentur memores proſpera vota notæ;
Nonne reus Muſis pariter Nymphiſque tenebor,
Si tacitus ſoli prætereare mihi?
Indictum neque enim fas eſt tacitumque relinqui
Hunc, qui tot populos provocat ore loqui.

Quod autem me peculiariter, ad hoc quidquid eſt opellæ meæ, TIBI, *Cardinalis Ampliſsime, conſecrandum maxime impulit, illud*

est ; quod Societatem nostram in universum , ejusque homines singillatim , paterna quadam caritate a teneris usque semper complexus fueris ; singularisque in hunc Ordinem amoris Tui argumenta , perspicua sane , in dies dederis . Ex quo enim Germanicum Romanumque Collegium , summa cum probitatis ingeniique laude , sancte studioseque peracta ibidem adolescentia , egregio immortalique honore , nostrorum hominum adhibita institutione , affecisti ; nullum umquam præteriit tempus , quo Societatem novis beneficiis non cumulares . Non modo enim permultos consanguineos Tuos , nobilissimos adolescentes , nostris educandos atque formandos in Roma-

mano vel Seminario vel Collegio commendaſti, atque adeo commendas, verum ex iiſdem quoque lectiſſimos in noſtrum cœtum cooptari & probaſti, &, dum judicium ea ſuper deliberatione Tuum, ut par erat, exſpectaremus, ut cooptarentur auctor eſſe voluiſti. Quotieſque nos in Chriſtianæ Reipublicæ utilitatem, cui ſtudes tam impenſe, conantes aliquid perſpexeris; quibuſcumque rebus potes (potes autem plurimis) conatus noſtros adjuvare, ac promovere publice privatimque quotidie pergis. Quibus, aliiſque, quæ, ne longum faciam, prudens præterео, nominibus obſtricta tibi Societas noſtra debere ſe TIBI *plurimum & jamdiu apud ſe ſentit,*

& coram omnibus juſtiſsime profitetur.

Quare me LANUVINORUM, *atque* ARDEATIUM *deſcripta his libris Vetera Monumenta* TIBI *offerentem, qua ſoles humanitate & comitate excipias, oro. Si enim ad ea reſpexeris; loca quibus maxime ad animi Tui, Chriſtianæ Reipublicæ contento conatu proſpicientis, reficiendas vires, delectaris, memorari comperies. Cynthianum enim, deliciæ tuæ, intra Agri olim Lanuvini fines conſtitutum, ex parte, accepimus: & Antoninorum Imperatorum villa, cujus hic ruderum imaginem exprimendam curavimus, ea eſt, circa quam ſapientes cum præclaris viris, vere autumnoque, de-*

am-

ambulationes obire consueviſti. Accidet proinde, ſpero, TIBI *non injucundum, eadem hæc Monumenta de voraciſſimis temporis faucibus quodammodo erepta, atque in unum hic congregata, relegere. Quorum in hiſtoria, ſi, peccatum aliquid a me fuiſſe, deprehenderis; id partim ingenii mei, quod ſentio quam ſit exiguum, imbecillitati, partim antiquiſſimarum rerum obſcuriſſimæ, atque adeo difficillimæ, inveſtigationi tribuens, humaniſſime condones, peto. Tum vero idem hoc clementer ignoſcas, quod graviſſimis Reipublicæ negotiis intentum hac* TE *mea tam tenui epiſtola interpellare non dubitaverim. Vale, Cardinalis Ampliſſime;* TE-

que

que valentem optime, agentemque prosperrime, Christiano Orbi Universo servet diutissime Propitium Numen. Hæc vovebam ex animo

Romæ in Græco Sancti Athanasii Magni Collegio,
Anno A Virginis Partu CIↃ IↃ CC XXIX.
Kal. Septembrib.

LE-

LECTORI BENEVOLO

JOSEPHUS ROCCUS VULPIUS

SOCIETATIS JESU SAL.

ETERIS Latii Hiſtoriam, Opus ſane vaſtum ac longum, urgemus tamen, Amice Lector. En tibi octavum & nonum ejuſdem Hiſtoriæ Libros, qui de Lanuvinis & Ardeatibus, illuſtribus Veteris Latii populis, copioſe agunt. Fidem quæris eorum quorum hic narrationem contexuimus? Antiquos Latinos ſcriptores, eoſque ſecutum recentiorum ſelectiſſimum quemque & probatiſſimum habes. Horum ſeriem & noſtro de Antiatibus Libro jam præpoſuimus, & in ſingula quæ huc afferimus, uniuſcujuſque ſingillatim teſtimonium adducimus. Nec tamen antiquitatem omnem atque hiſtoriam inveſtigare diligentiſſime atque excutere nobis ſatis fuit; ut tantum videlicet in aliorum verba jurare poſſemus. Oculorum ipſorum multo fidiſſimum teſtimonium (quandoquidem regionum vicinitas, & PETRI MARCELLINI CORRADINI Cardinalis Ampliſſimi, Operis hujus Patroni munificentiſſimi, liberalitas id nobis tribuit) oculorum, inquam, ipſorum noſtrorum multo fidiſſimum teſtimonium adjecimus. Itaque per autumni opportunum tempus, Rep. Orb. An. CIↃIↃCCXXIX. Cynthianum oppidum, quod in Agri Lanuvini parte ſitum eſt, acceſſimus. Exinde ad Lanuvinum Agrum omnem diligentiſſime inveſtigandum atque luſtrandum ſæpius perreximus. Oppidulum ab Cynthiano tribus ferme mille paſſibus diſtans

in

in meridiem, in colle ſitum, quod *Civita Lavinia* nunc dicitur, ipſi præſentes luſtravimus. Idem in ruinis Veteris Lanuvii excitatum fuiſſe, planiſſime deprehendimus. Luculentiſſima hujuſce rei teſtimonia, permulti inſcripti lapides vetuſtiſſimi, ibidem eruti, ibidemque modo proſtantes, in quibus Lanuvinorum civium, & Lanuvini Senatus & Populi mentio: rudera magnificentiſſima celeberrimi Junonis Soſpitæ Lanuvinæ templi apud ipſum oppidum, loco qui *Contrada S. Lorenzo* incolis appellatur. Ex quo lapides alii Soſpitæ ipſius mentionem perſpicuiſſimam facientes nuperrime effoſſi, ac inter ceteros inſignis atque præcipuus unus, qui Junonis Soſpitæ Magnæ Reginæ ſtatuam ex auro atque argento conflatam, de donis vetuſtate corruptis, & ab Adriano Imperatore conſecratam commemorat. Situs denique ipſe oppidi, qui, Lanuvinæ urbis ſedem ibi fuiſſe, extra omnem prorſus dubii aleam conſtituit. Siquidem Appiæ Viæ locum adivimus, Cynthianum inter ac Velitras, ad pontem qui nunc dicitur *di S. Gennaro*. ibi oppidum *Civita Lavinia*, Viæ Antiquæ imminere, & ad dexterum ejuſdem Viæ latus Roma Capuam euntibus ſedere, quemadmodum de Lanuvio Strabo atque Horatius teſtificantur, contemplati ſumus. Ad ſiniſtrum vero latus, ingentia rudera exciſi oppidi, quod recentioribus ſæculis *S. Gennaro* dictum fuit, atque adeo nunc dicitur; nonniſi Lanuvinorum diverſorii, ſeu oppiduli, quod in antiquis Itinerariis Tabulis *ſub Lanubio* appellatur, locum eſſe poſſe, comperimus. Situm vero oppidi *Civita Lavinia*, ejuſque viciniam omnem cum iis quæ de Lanuvinæ urbis ſede veteres tradiderunt, mirum in modum, & quam aptiſſime congruere; quod ſcilicet veritati omnia conſentiunt. Non modo enim Appiæ Viæ imminet, rectiſſimo ac longiſſimo tramite;

te; ad ejuſdem dexterum, Roma Capuam euntibus, latus ſitum eſt, ut ajebam; Soſpitæque Junonis templi ruderibus proximum; verum & in colle ſitum, octo, plus minus, mille paſſibus mari diſtat; exinde Antium, & omnis Latini littoris ora proſpicitur; excelſo devexa jugo, Junonia ſedes, quod Silius memorat, ſatis apparet. Rudera circa oppidum ingentia veterum ædificiorum, quamvis vepribus obſita, & pæne omnino obruta atque occupata, inveſtigantibus tamen, ac per devia ſedulo quærentibus paſſim deteguntur. Vidimus ipſi juxta viam quæ ab hoc oppido Cynthianum ducit, ingentes veterum ſive Thermarum, ſive Piſcinarum ad cogendas aquas, ſubſtructiones. Vidimus diverticulum Appiæ Viæ, per quod ab Lanuvio in ipſam Appiam deſcendebatur, hodieque deſcenditur; per quod & Bello Punico ſecundo, Q. Fulvius Romanorum Conſul, ut municipium honeſtiſſimum Lanuvium commeatus in ipſam Viam Appiam deportaret, ac paratos haberet, cum reliquis juxta eamdem viam ſitis, imperavit; quod Livius memorat. quodque diverticulum ab agro rava decurrens lupa Lanuvino fœtaque vulpes curſu dimetiebatur, ut infauſti eſſet ominis impiis iter facientibus, Horatio teſte. Quid plura? villam Lanuvinam Antoninorum Imperatorum, in qua nati atque educati, ab veteribus traduntur, inter oppidum *Civita Lavinia* atque Cynthianum luſtravimus; ſpatiumque id ab ea occupatum fuiſſe in quo Cæſarinorum Ducum prædium eſt latiſſimum, atque hodie dicitur *Villa del Duca*, aut ſimpliciter *la Villa*, certo certius, clariſſimis ex argumentis, cognovimus. Ibi enim, præter ipſum antiquum *Villæ* nomen, rudera magnificentiſſimorum ædificiorum tum lateritio antiquo opere, tum e vivo quoque ſaxo exſtructorum, cernuntur.

Aquæductuum quoque vestigia; quodque caput est, statuarum vis ingens ibidem effossa. quas inter duodecim primorum Cæsarum illæ, quæ Alexandri Cardinalis Albani Musæum exornant. marmorum omne genus fragmenta; æris quoque aurati frusta; pavimentorum tessellato elegantissime opere laciniæ, aliaque hujusmodi Romanæ magnificentiæ ac luxuriæ clarissima documenta. Dumque ipsa per multas operas Cæsarini Principis jussu fossio urgeretur, adfuimus; &, præter commemoratorum imaginem ruderum, tabulæ quoque antiquæ marmoreæ partem ibidem erutam, in qua quadrigarum in circo cursus scitissime repræsentatur, describendam, ipso Principe perbenigne annuente, curavimus. Cujus in his Libris, una cum aliis vetustis Lanuvinorum monumentis, exemplum ære incisum damus. Porro, ex colle in quo olim Lanuvium, atque adeo ex ipsis Lanuvinæ urbis ruderibus, Lavina littora longe prospeximus, humilemque Lavinii, sive Lauro-Lavinii, sive tandem Laurenti, urbis situm despeximus; miratique sumus vehementer, sanos inveniri scriptores potuisse qui Lanuvium cum Lavinio, quasi unum eumdemque locum, confuderint. Crassæque nimium ac supinæ illos insciticæ insimulassemus qui tam longe dissita loca, alterum ab altero minime discreviſſent; nisi ab hac Latii regione scriptorum eorumdem longinquitas illos aliquatenus excusasset. Gratias proinde DEO OPTIMO MAXIMO ingentes egimus, Petroque Marcellino Corradino Cardinali Ampliſſimo habemus, quod nos hæc loca visendo coram, palmarem adeo errorem tum ipsi devitavimus, tum in aliis manifestissime deprehendimus. Qui & ex eo error manifestissimus satis superque convincitur; quod in ruinis Lanuvii, cum lapides quamplurimi Lanuvii

ipsius

ipſius & Lanuvinorum mentionem luculentiſſimam facientes in dies detegantur; contra vero ne fragmentum quidem aut fruſtum vel unum unicum circa eumdem locum, nec prope nec longe, umquam aut uſquam detectum eſt, in quo vel Lavinii, vel Laurenti, vel Lauro-Lavinii, vel Laurentinorum, denique, aut Lavinatum, mentio fiat ulla. Quare itineris noſtri, atque ſedulæ, laborioſæque nonnihil inveſtigationis uberes abunde fructus ſuſcepiſſe nos, exiſtimamus, qui certam Lanuvinæ urbis ſedem tot cumulatiſſimis teſtimoniis firmatam tandem aliquando cognovimus, ac ſtabilivimus. Ab Lanuvio autem Cynthianum reverſi ad Ardeatinum agrum exquirendum, ipſiuſque Ardeæ urbis olim celeberrimæ Rutulorum principis ſedem inviſendam contendimus. Et, corrupto quamvis itinere, ab ultro citroque vindemias (quæ hoc anno copioſiſſimæ ultra omnem hominum memoriam fuere) deportantibus equarum armentis, factoque ex imbri corruptiore uſi; circa vallem tamen Aricinam deſcendimus. Quam pulcherrimo ſane atque amœniſsimo proſpicientibus aſpectu coronant Latina oppida, Caſtrum Comitis Gandulfi, Albanum Pompeji, Aricia, Aricinæ Virginis Deiparæ ſedes, Nemus Dianæ, atque Cynthianum; vulgo, *Caſtel Gandolfo*, *Albano*, *La Riccia*, *La Madonna di Gallóro*, *Nemi*, *Genzano*. ipſique valli modo vocabulum *Vallericcia*. Mox ut planiciem tribus ferme confectis in deſcenſu milliariis attigimus; Viam quæ Roma Antium ducit, interſecuimus: perque Solonium Campum, Agri olim Lanuvini partem, Ardeam pervenimus. Sedere vidimus non urbem quidem aut ſaltem oppidum, verum exeſum ferme ac penitus abſumtum vetuſtiſſimæ olim ac potentiſſimæ urbis cadaver, in *ardua* plane rupe, a qua rectiſſime *Ardeæ* nomen deduxeris.

xeris. Cum enim circum planicies ſternatur undique, rupes hæc, ſeu aptius terreſtrem ſcopulum vocare malis, aſſurgit admodum aſpera; deciſaque, tum extra tum intra pomœrium a munitoribus urbis apparet mille circiter paſſus gyro complexa. Super ipſam, mœnia vivo e ſaxo, ſecto, quadratoque, ac prægrandi collocata; quorum veſtigia adhuc non obſcura viſuntur. quæ, quamvis ſæpiſſime diruta, refecta, atque commutata, tot jam ſæculorum ſpatio, non abnuam; ſaxa tamen illa, licet aliter locata, primorum a conditore urbis exſtructorum murorum partem olim conſtituiſſe, ut credam, facile perſuadeor. Quare duplicem loci faciem, operæ pretium facturus, deſumendam curavi, quam meo de Ardeatibus libro hic apponerem. Ceterum, diſtare Ardeam a mari milliaria plus minus tria, non vero novem, ut in Strabonis codicibus legitur, ſatis comperi. Et quamvis extra rupem, alia vetuſtiſſimorum ædificiorum rudera ingentia, reticulato opere, appareant; Villarum, puto, ſuburbanarum; nullum tamen dubium, quin vetus Ardea eodem quo recens loco ſedet, fuerit conſtituta, creari poteſt. Siquidem, nuſquam alibi, longiſſimo tractu, ardua, huicque ſimilis conſurgit rupes. qua in rupe, tamen, inter veteres auctores omnes, priſcam Ardeam ædificatam fuiſſe, ſatis convenit. Ceterum, hunc locum numquam *Troja* vocatum, (quod nuperus auctor falſiſſime ſcripſerat) ex unanimi accolarum atque adeo incolarum teſtimonio perdidici. Sed vetus illi manſit *Ardea* nomen conſtantiſſime, hodieque permanet. Ingentes circa mœnia foſſæ, quas aquis oppletas ad urbis munimen fuiſſe, crediderim; arentes modo, ob derivatas alio, vel certe eo amplius non congregatas aquas. Aggeres quoque haud ita procul cernuntur quatuor, magnum quoddam

ve-

veluti vallis ſpatium complexi; manu certe hominum, terra ex vicinis foſſis aggeſta, conſtructi; quamvis modo tumulorum atque humilium collium inſtar appareant. e quibus, duo illi qui primi Cynthiano venientibus occurrunt, fauces componunt, quas antiquitus porta & ponte munitas, murorum e vivo ſaxo ruinæ oſtendunt. Hic Ardeæ ſitus, hæc ſedes. Porro in Caſtro, ſeu Pago, in ruinis veteris Ardeæ conſtructo, unum tantum antiquum inſcriptum lapidem, ante Divo Petro Templi dedicati fores, invenimus; unumque ſarcophagum figuris ſcite inſculptum; quæ noſtro de Ardeatibus Libro huc inſeruimus. Ardeatini quidem cæli ac ſoli graviſſimam intemperiem, aeriſque corruptiſſimi egregia documenta, in Ardeatium pallidiſſimis vultibus, tumidoque, hydropis inſtar, ventre, miſerati ſumus. Luſtrataque oculis omni circa regione, in qua & ſulphureæ fodinæ, & Numicus amnis, & Lavina littora, & Caſtrum Inui; confeſtim a tam peſtilenti, deſolatoque cum paucis loco, pæne jejuni diſceſſimus: quod in eo rerum omnium inopia, & vel ipſa viliſſima rerum aqua, nonniſi paluſtris, ac fere ſalſa, bibenda foret. quam nos ſic fugimus, ac ſi illi Canidia afflaſſet, pejor ſerpentibus Afris. Ceterum in Lanuvinorum recenſendis monumentis permultos hic inſcriptos lapides invenies, amice Lector, qui lucem nunc primo aſpiciunt, quoſque erutos noviſſime, Lanuvii nos ipſi legimus. At in illis explicandis fere non immoramur; quod obvia eorum ſententia noſtra interpretatione communiter non indiguerit. Unum tamen allatum jam a Ligorio, qui Publio Sextilio Curatori Sacrorum Lanuvinorum inſcribitur, pro dignitate fuſe interpretandum ſuſcepimus: ex quo lumen reliquis, quique pro cunctis unus ſuffecerit. Cujus ſi longam

nimis, & quaſi ab inſtituto de Lanuvinis ſermone deviam nonnihil explicationem naſo quis adunco ſuſpenderit; nihil morabor; exemplo clariſſimorum hiſtoricorum tum antiquorum tum recentiorum, qui multo longius ab inſtituto ſcientes prudenteſque non ſemel aberraverunt; & eruditorum noſtræ ætatis virorum, quibus haſce interpretationes exactiſſime habitas legere jucundiſſimum, quibuſque potiſſimum ſcribo, judicio ſatis fretus. Ceteri a libris noſtris oculos ac manus, æternum, per me licet, abſtineant porro. His adde, quod qui veteres inſcriptos lapides ſuis lucubrationibus opportune importune aſſuant, per hæc tempora inveniuntur multi; qui tamen ipſorum lapidum aliquam interpretationem, etiam perneceſſariam, adjiciant, appoſiteque de conciſis illis notis ediſſerant, vel duo, vel nemo. turpe quidem & miſerabile. Quare, operam minime ludimus, ſi nos aliquanto longius, quam rigidis cenſoribus par eſſe videatur, in eorumdem lapidum quandoque diſſertatione procurramus. Quod ſi hoc rigidis Hiſtoriæ legibus repugnare quis pugnet; ego vero cum ipſo impugnatore non pugnabo. Verum, illum, quod alias præſtiti, monebo, Commentaria quædam Hiſtorica nos ſcribere, quæ laxioribus multo & latioribus legibus ac finibus, quam mera puraque hiſtoria, contineantur. Illud quidem aſſeverem veriſſime, me in his de Lanuvinis atque Ardeatibus Libris a propoſito multo minus, quam in ceteris hactenus editis divagatum. Et tamen ceteri (quæ lectorum eſt mecum humanitas ac benignitas) licet latius in antiquitatem omnem illuſtrandam excurrentes, litteratorum hominum, quibus hæc ſtudia maxime cordi ſunt, Reipublicæ, uſque adeo non diſplicuerunt; ut illos, poſtquam ipſi legerint, ac probaverint, & tota Italia di-

mi-

miſerint, & per Germaniam, per Gallias, apudque ipſos ultimos, & penitus toto diviſos orbe Britannos, eorumdem exempla permulta vulgaverint. Quare, ſi tantum ſimilem hi qui nunc prodeunt, Libri ſortem nanciſcantur; nihil ultra votis ſuper hoc Deum laceſſo. Verum, dum vagor per ſingula, longa ipſa epiſtola facta eſt. Tu tamen, amice Lector, dum delicatus es nimis atque ſeverus exactor, tu me loquaciorem cornice reddidiſti. ſed jam amplius non hiſco. Tu tantum boni conſule & fave. Teque, ſi faves, in omnibus fortunet Deus. Vale.

Antiqua Locorum quæ in his Libris deſcribuntur, nomina cum recentibus collata.

AQuæ Ardeatinæ *circa Ardeam in tumulis fuere; atque adeo hodie exſtant calidi & ſulphurati fontes morbis nonnullis ſanandis utiles, ex quibus vis magna ſulphuris eruitur. Locis hodie nomen* La Solforata. *haud ita procul a Turri in ora maritima, cui nomen* Torre S. Lorenzo.

Ardea *urbs quondam Rutulorum caput in Antiquo Latio, diſtans ab urbe Roma XX. circiter m. p. a mari autem III. Oſtiam inter & Antium in ruinis jacet jamdiu exciſa. Manet tamen Pago ſeu Caſtro in veteris Ardeæ ruinis ipſis ſito, antiquum magnumque nomen* Ardea, *& Turri juxta littus,* Torre d'Ardea.

Caſtrum Inui *oppidum quondam Latii (non Hetruriæ, ut perperam quidam) in quo celeberrimum templum Fauno, ſive Pani Inuo, conſtructum fuerat. Fuit ad mare, inter Antium & Laurentum. Huic parti littoris hodie nomen* Spiaggia di Capo d'Anzo.

Ficana, *quæ &* Ficulnea, *clarum olim oppidum Latii ad undecimum ab Urbe lapidem via Oſtienſi. Locus deinde* Puilia Saxa, *&* Pomonal *dictus eſt. Erat inter Lanuvini, Ardeatis, atque Oſtienſis Agri fines. Loci nomen nunc ignoratur.*

Juturnæ Lacus *ſive* Fons, *quem alii* Turni Lacum *dixere, lacus parvus Latii apud Numicium amnem, juxta fines Agrorum olim Ardeatis & Laurentini. Illi nunc nomen* Treglio. *quamvis hac tempeſtate fere penitus, derivatis alio aquis, exſiccatus fuerit.*

Lanuvium *ſeu* Lanubium *veteris Latii urbs olim celebris, Roma centum quinquaginta ſtadia diſtans, inter Albam, Ariciam, Ardeam, Velitras, & Antium, in agro Laurenti. Jamdiu diruta. Situm ejus circa oppidulum quod nunc accolæ nominant* Civita Lavinia, *ſive* Città Indovina, *vel* Città della Vigna, *fuiſſe, certiſſimis argumentis nuperrime compertum eſt.*

Marcius *ſive* Marcius Collis, *ſive* Ad Metium, *locus & collis in agro quondam Lanuvino ſitus. haud ita procul Velitris, vulgo nunc* Colle Marzo.

Numicus *ſive* Numicius *fluviolus Latii fabulis olim celebris in confinio Agrorum Laurentis & Ardeatini. hodie* Rivo di Nemi, *aut* Rivo *ſimpliciter appellatur. Siquidem ex Lacu Nemorenſi, nunc* Lago di Nemi, *originem ducere traditur.*

Politorium *antiquiſſimum in Latio idemque clarum oppidum, Lanuvino, Ardeati, atque Oſtienſi Agro conterminum. Jam inde a Plinii ætate exciſum ſine veſtigiis. Quamvis hodie loco nomen* Polini, *teſte Raphaele Volaterrano.*

Saguntum & Saguntus, *Ardeatium Colonia; ac propterea, quamvis oppidum extra vetus Latium ipſamque Italiam, utpote in Hiſpania*

olim

olim ſitum, in his Libris memoratum. Fuit in Hiſpania Tarraconenſi, in finibus Hedetanorum, ab Annibale expugnatum & everſum. Loco nunc nomen Morvedre.

Solonium *ſive* Solonius Campus *Agri Lanuvini in Latio pars, ſerpentibus olim abundans; inter Numicii Juturnæque fluminum fontes. nunc inter oppida* Caſtel Savello *&* Patrica *extenditur. quo in ſpatio loca vulgaribus modo vocabulis appellantur* Sant' Abrocolo, Torre Maggiore, Cerqueto. *prope agrum Oſtienſem.*

Sub Lanubio, *locus Pagi, ſive Diverſorii in Appia Via, Ariciam inter & Tres Tabernas, in vetuſtis Itinerariis Tabulis memoratus. Fuiſſe circa pontem modo* di S. Gennaro, *vel* di S. Gennarello *appellatum, ubi exciſi oppidi pariter* S. Gennaro *vocati, ingentia rudera hodieque viſuntur, validis argumentis probatur. Unde etiam oppidum* Civita Lavinia, *Antiqui Lanuvii ſedes, Appiæ imminere, Capua Romam venientibus, cernitur.*

Tellena *ſive* Tellenæ *oppidum quondam Latii nobile circa Lanuvini Agri fines. Exciſum fuit ſine veſtigiis. Unde & loci nomen quo ſitum fuerit, nuſquam a ſcriptoribus recenſetur.*

Templum Junonis *Soſpitæ Lanuvinæ prophanis olim cultu ac ſuperſtitionibus celeberrimum. Ejus rudera in excelſo colle juxta oppidum* Civita Lavinia *tandem aliquando deteximus, in prædio Caroli Bonelli. Loco nunc nomen* Contrada S. Lorenzo.

Via Ardeatina, *una ex præcipuis Conſularibus ac Militaribus Viis lapide ſtratis. Roma per Capenam Portam, hodie* di S. Sebaſtiano, *Ardeam ducebat. Mox per diverticulum Appiæ conjungebatur; unde & cum Appia ab aliquibus aliquando confuſa eſt.* Viam *quoque* Numicî *dictam eamdem, aſſerimus.* Laurentinæ *&* Severianæ *littorali aliqua ſui parte conjuncta fuit. Aliquot ejus veſtigia euntibus Roma ad oppida* Patrica *aut* Nettuno *hodie quoque apparent.*

Villa Lanuvina Antoninorum Imperatorum *fuit in Agro Lanuvino. In ea nati educatique ex Bojonia Lanuvina gente Antonini Cæſares, Pius, Philoſophus, & Commodus. Magnificentiſſimis ædibus atque ornatiſſimis fuit inſtructa. Illarum aliqua etiam num rudera viſuntur, quorum hic imaginem damus. Sita fuit in Agro quondam Lanuvino, juxta Viam Appiam. nunc mille circiter paſſus ab oppido Cynthiano* (Genzano) *diſtat. quodque Cæſarini Ducis in poteſtate ſit, incolis dicitur* Villa del Duca, *aut ſine addito* la Villa. *Lanuvium verſus latiſſime olim protenſam fuiſſe, perſpeximus.*

Villa Priapi, *locus, ſive pagus, aut proprie villa, in Agro Ardeatino, in qua Leo Quintus Pontifex Maximus natus eſt. Fuit prope Ardeam, nunc* Campi d'Ardea.

INDEX CAPITUM.

LIBER OCTAVUS.

DE LANUVINIS.

Cap. i. *DE Lanuvii origine, ſitu, ejuſque conditoribus.* pag. 1
Cap. ii. *De Republica & Colonia Lanuvina.* 13
Cap. iii. *De Lanuvinorum Templis.* 28
Cap. iv. *De Templo Junonis Soſpitæ Lanuvii.* 35
Cap. v. *De reliquis Lanuvinorum ædificiis, ac præcipue de Villis, antiquitus in agro Lanuvino ſitis.* 87
Cap. vi. *De Solonio in agro Lanuvino.* 95
Cap. vii. *De Familiis Lanuvinis Romæ illuſtribus.* 98
Cap. viii. *De reliquis Lanuvinis viris olim apud Romanos clariſſimis.* 126
Cap. ix. *De Marcio Colle prope Lanuvium.* 143
Cap. x. *De Tellenis, Ficana, & Politorio, Oppidis jamdiu exciſis, & quondam Lanuvino agro conterminis.* 145

LIBER NONUS.

DE ARDEATIBUS.

Cap. i. *DE Ardeæ Conditoribus.* 151
Cap. ii. *De Turno, aliiſque Ardeatium regibus.* 166
Cap. iii. *De Republica & Colonia Ardeatina.* 179
Cap. iv. *De præcipuis Ardeatium Templis.* 198
Cap. v. *De antiquis prædiis & villis, deque paludibus & aquis in Ardeatino.* 214
Cap. vi. *De Via Ardeatina.* 222
Cap. vii. *De Caſtro Inui quondam in finibus Ardeatium.* 236
Cap. viii. *De Sagunto Ardeatium Colonia.* 245

FRAN-

FRANCISCUS RETZ

Vicarius Generalis Societatis JESU.

CUM Librum, cui titulus: *Vetus Latium Prophanum. Tomus Quintus, in quo agitur de Lanuvinis, & Ardeatibus;* Authore Josepho Rocco Vulpio Societatis nostræ Sacerdote, aliquot Societatis ejusdem Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint, facultatem facimus, ut typis mandetur, si iis ad quos pertinet ita videbitur; cujus rei gratia has literas manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus Romæ 21. Martii 1730.

FRANCISCUS RETZ.

Loco ✻ Sigilli.

NOI RIFORMATORI

dello Studio di Padova.

AVENDO veduto per la Fede di revisione, ed approvazione del P. F. Gio: Pellegrino Galassi, Inquisitore di Padova, nel Libro intitolato: *Vetus Latium Profanum. Tomus Quintus, in quo agitur de Lanuvinis & Ardeatibus, Auctore Josepho Rocco Vulpio Societatis Jesu Sacerdote;* non esser cosa alcuna contra la Santa Fede Cattolica, e parimente, per attestato del Segretario Nostro, niente contra Principi, e buoni costumi; concediamo Licenza a *Giuseppe Comino* Stampatore in Padova, che possa essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 9. Gennajo 1731.

(Carlo Ruzzini Cav. Proc. Rif.
(
(Giovan-Pietro Pasqualigo Rif.

Agostino Gadaldini Segret.

VE-

VETUS LATIUM PROFANUM

LIBER OCTAVUS

DE LANUVINIS

AUCTORE

JOSEPHO ROCCO VULPIO

SOC. JESU SACERDOTE.

CAPUT I.

De Lanuvii origine, ſitu, ejuſque conditoribus.

VELITERNIS, & Coranis, de quibus Sexto ac Septimo hujus Operis Libro proxime locuti ſumus, ad Lanuvinos gradum facimus. quem narrationis ordinem ipſa locorum vicinitas a nobis exigit. Siquidem Veliternis Lanuvini contermini olim fuere. Fuit namque Lanuvium (ut ex optimis ſcriptoribus, Livio, Strabone, Ptolemæo, aliiſque plurimis, quos opportune in medium afferemus, ſatis conſtat) oppidum nobile, urbs, colonia, & municipium Latini nominis, viginti circiter mille

paſſus Roma diſtans; juxta Appiam viam, Velitras inter, Lavinium, Antium, atque Ardeam; poſt Ariciam, euntibus Roma Capuam, in edito colle ſitum. Cujus locus quamquam deſignari omnino, atque acu, (quod ajunt) tangi minime poſſit, eo quia dirutum jamdiu jacet, atque ipſæ etiam ferme periere ruinæ; haud multum tamen is a vero aberraverit, qui Lanuvii ſedem fuiſſe circa oppidulum, quod *Civita Lavinia*, vel *Civita Indovina*, vel *Città della Vigna*, corruptiſſimis noſtra hac ætate vocabulis appellatum, antiquæ Appiæ viæ tractu longiſſimo, rectiſſimoque tramite, imminere proſpicitur; convenientibus ad hanc confirmandam ſtabiliendamque ſententiam rerum, ſcriptorumque plurimorum teſtimoniis, aſſeverabit. Quod, antequam ſingillatim oſtendo, illud cum primis notandum legentibus moneo; ex nominum *Lavinii Lanuviique* vicinitate, ac ſimilitudine, in ſcriptorum nonnullorum codicibus, librariorum vitio *Lavinium* pro *Lanuvio* ſæpius irrepſiſſe: præcipue cum Lanuvium etiam *Lanivium* dictum fuerit, & cives *Lanivini*. quod mendum, & antiqua quædam inde excuſa exemplaria perperam ſecuta ſunt. Quæ tamen omnia auctorum loca ab eruditiſſimo Philippo *a* Cluverio diligentiſſime emendata ac reſtituta fuerunt. Cujus viri clariſſimi ſententiam prudens quiſque atque Latinæ hiſtoriæ peritus certo plane pede ſequetur, dummodo in iis perlegendis meminerit; Lavinium oppidum ab Ænea haud ita procul ab Tyrrheno mari in planitie ædificatum fuiſſe; Lanuvium vero in colle a mari, ut minimum, milliariis octo diſtans, a Diomede conditum: Lavinium, poſt Albam Longam ab Aſcanio Æneæ filio exſtructam, celebrari deſiiſſe; immo, præter Deos Penates, qui, miraculo, Lavinii ſubſiſtere

a *Ital. Antiq. l. 3. pag. mihi 937. & ſeqq.*

vo-

voluiſſe jactabantur; nonnulloſque ſacerdotes qui eorumdem ſacra curarent; populum omnem ab Lavinio Albam translatum fuiſſe; unde nullius ferme nominis Lavinium oppidum poſterioribus temporibus, Romana ſcilicet florente Republica, exſtitiſſe plane conſtat: at Lanuvium, ad Ciceronis uſque ætatem, immo etiam ad Cæſarum imperium, floruiſſe, atque illuſtribus civibus claruiſſe, temploque Junonis Soſpitæ celebratiſſimum exſtitiſſe, ſcriptores omnes paſſim commemorant. Quæ omnia ſemel diligenter notata ſuum utrique oppido & conditorem & locum ſatis diſtinguunt; & librariorum operarumque excudentium menda aperte detegunt; atque in iis exponendis quæ de Lanuvio a nobis dicentur, confuſionem omnem penitus tollunt.

Itaque Lanuvium a Diomede Ætoliæ rege Tydei & Deiphiles filio, Oenei nepote, poſt Trojam captam, in Italiam appulſo, primo conditum fuiſſe, tradunt. Quod Appianus diſertis verbis commemorat: *b Ægre id ferens Milo, profectus eſt in patriam ſuam* Lanuvium, *quam primam fertur Diomedes poſt captum Ilium, in Italia condidiſſe urbem, diſſitam ab Roma ſtadia CL.* Ita namque legendum eſse, non *Lavinium*, nuper cum Cluverio monuimus. Septem autem ſtadiorum cum dimidio, milliaria ſingula, Appiani ætate, fuiſſe, memineris. E quibus verbis vetuſtiſſima (ita dixerim) Lanuvinæ urbis antiquitas ſatis apparet, quæ ab Troja capta, condita ſtatim fuerit. Illam autem primam a Diomede in Italia urbem conditam, ideo dixit Appianus, quod alias quoque in eadem regione urbes vir ille fortiſſimus, poſt Lanuvium, excitaverit. Nam & *Canuſium*, hodie *Canoſa*, in Apulia ab Diomede conditum, Horatius tradidit his verſibus *c*:

b *Lib. 2. Bellor. Civil.*

c *Sat. 5. l. 1.*

Nam Carusî lapidoſus, aquæ non ditior urna;
Qui locus a forti Diomede eſt conditus olim.

Et *Arpos*, ſive *Sipontum*; in cujus ruinis, & vicinia ſedet nunc *Manfredonia*; ad radices Gargani montis, in eadem regione a Diomede conditam urbem, ſcriptores antiquiſſimi commemorarunt. & *Beneventum*, in Hirpinis. Quin & *Diomedeæ Inſulæ* quinque in *d* Adriatico mari juxta eumdem Garganum montem (nobis *L' Iſole di Tremiti*) a Diomede nomen aliquando ſunt mutuatæ. Ferunt enim, qui doctas fabulas ſunt ſecuti, Diomedem, poſt Achillem ac Telamonium Ajacem, illorum omnium Græcorum qui ad Trojam prœliati ſunt, fortiſſimum exſtitiſſe. & inde cum amiciſſimo ſibi Ulyſſe Palladium & Laomedontis cineres ab Ilio ſuſtuliſſe, & Martem eodem Trojano bello ab eo vulneratum. Quod vero etiam Venerem in dextera vulneraſſet manu; ab eadem uxoris adulterio cum Cyllabaro Stheneli filio admiſſo caſtigatus, nec probrum quod abſenti ſibi fuerat illatum, ſuſtinere coram valens, perpetuum a patria ſibi exſilium ſponte indixit. Itaque, exciſa Troja, in Italiam navigavit; Latiniſque oris appulſus Lanuvium primo condidit, celeberrimumque Junoni Argolicæ, quæ ſcilicet Argis præcipue coleretur, templum Lanuvii exſtruxit. Quod Latini *Junonis Soſpitæ* mox appellaverunt. Eo autem Junoni ab Diomede id templum fuit dedicatum; quod Græcorum ad Trojam tutela præcipua ſemper Juno fuerat; ſoſpitatumque Diomedem in Latinas oras deduxerat. cum & Ajacem Oileum, & Ulyſſem, ceteroſque Græcorum duces, irata numina vel naufragiis, vel certe longiſſimis actos erroribus, male mulctaſſent. Ceterum, Lanuvio condito, a Latinis oris iterum receſſit Diomedes; Tyrrhenoque circum navigato, in Adriati-

d *Solin. Polyhiſt. c.* 8.

cum

cum ſinum delatus, ad Apuliæ Dauniæ littora appulit; & a Dauno, qui rerum ibi tum forte potiebatur, in regni partem eſt adſcitus, ejuſque filia illi matrimonio copulata: & agrorum pars, qui deinde *Campi Diomedei* dicti ſunt, eidem dotis loco tributa. Dumque ibi pacifice degeret, legationem illum accepiſſe, memorant, a Latino Aboriginum rege, qui Latii tunc erat dominus; qua, ut ſibi adverſus Æneam, ſua regna invadentem, auxilio Diomedes, antiquum ſcilicet adverſus hoſtem, veniret, Latinus petebat. Verum Diomedes, ad id bellum ſe profecturum, negavit; eo quod Græcorum ducibus ſingulis, qui Trojam excidiſſent, res deinde male ceſſerat; ad unum omnibus, aliis alio ſupplicio a diis Trojæ fautoribus probe affectis. Unde & ipſum Latinum hortatus eſt, ut cum hoſpite Ænea pacem potius componeret, ſi modo ſimilia Græcis infortunia vellet evadere. Ceterum, alii Diomedem cum Ænea, mutato conſilio, mox congreſſum, ab eodem fuiſſe occiſum; alii, dum pacifice in Apulia degeret, evanuiſſe repente, commenti ſunt. idque illi ad inſulas quæ *Diomedeæ* poſtea dictæ ſunt, accidiſſe fabulantur. Ubi ejus ſocios, in aves, præ dolore gementes, mutatos, referunt. Quare, præter Lanuvium in Italia a Diomede conditum, & Canuſium, & Arpi, & Sipontum, & Beneventum, & Campi Diomedei, & Diomedeæ inſulæ, ut & Diomedis templum apud Carnos & Diomedis Promontorium in Illyrico, memorantur. Hæc fuſe Theophraſtus, Strabo, Ptolemæus, Plinius, Solinus, Virgilius, Ovidius; quique terrarum orbem deſcripſere auctores quamplurimi, paſſim ſunt perſecuti. Ceterum, memoratur Lanuvium, præ aliis, Ciceroni, & Livio, & Straboni; quorum ex verbis ſitum ipſum urbis haud erit difficile inveſtigare. Et

Li-

Livius quidem, illam Antio haud multum distasse, innuit. Siquidem Libro octavo: *Venerant*, inquit, *ab Lanuvio, Antioque auxilia. Juxta* vero, sive *propter* Appiam viam situm fuisse Lanuvium, Livius idem memoravit. etenim: *Q. Fulvius*, inquit, *quum Annibalem Latina via iturum, satis comperisset; ipse per Appiæ municipia, quæque propter eam viam sunt, Setiam, Coram, Lanuvium, præmisit, ut commeatus paratos & in urbibus haberent, & ex agris deviis in viam proferrent.* Ita enim legendum esse, *Coram, Lanuvium*, non *Soram, Lavinium*, ut mendosa nonnulla exemplaria exhibent, evidentissimum est. cum Sora ab Appia via perquam longe dissita, & interjectu altissimorum montium ab ea divisa; & Lavinium oppidum ab Appia pariter sejunctum longo intervallo, & jamdiu pæne excisum, Annibalis ætate fuerit; unde nulli Fulvio commeatus parari poterant. Et Cicero in Miloniana, fuisse Lanuvium juxta Appiam viam diserte commemorat: ait enim: *Quum cædem in via Appia factam esse constaret.* Mox: *Tulit de cæde, quæ in Appia via facta esset, qua P. Clodius occisus fuit.* Deinde: *Cum sciret Clodius iter solenne legitimum necessarium ad diem XIII. Kal. Febr. Miloni esse Lanuvium ad flaminem prodendum; quod erat dictator Lanuvii Milo.* & postea: *Dictatoris Lanuvini stata sacrificia nosse negotii nihil erat. Vidit, necesse esse Miloni proficisci Lanuvium illo ipso quo profectus est, die.* Denique: *Atque illo die certe Aricia rediens divertit Clodius ad Albanum. Quod nisi sciret Milo, ipsum Ariciæ fuisse; suspicari tamen debuit, eum, etiamsi Romam illo die reverti vellet, ad villam suam, quæ viam tangeret, diversurum.* Ex quibus Tullii testimoniis satis constat, juxta viam Appiam fuisse Lanuvium, post Ariciam euntibus Roma Capuam. Tabulæ[e] quoque Itinerariæ diversorium notant *sub Lanubi-*

e *Corradin. Vet. Lat. tom. 2. c. 20.*

nubio, Ariciam inter, & tres Tabernas. Strabonis vero teſtimonium, quemadmodum peritiſſimus emendavit *f* & recitavit Cluverius, Lanuvinæ urbis ſitum certius adhuc deſignat. En illud: Μετὰ δὲ τὸ Ἀλβανὸν ὄρος Ἀρίκια ἐστὶ πόλις, ἔπὶ τῇ Ἀππίᾳ: ὑπέρκειται δ' αὐτῆς τὸ μὲν Λανούβιον πόλις ἄποικος Ῥωμαίων ἐν δεξιᾷ τῆς Ἀππίας ὁδοῦ. ἀφ' ἧς ἔποπτος ἥ τε θάλαττά ἐστι καὶ τὸ Ἄντιον. Scilicet: *Poſt Albanum* g *montem in via Appia urbs eſt Aricia. Ultra eam ſita eſt Romanorum Colonia Lanuvium, ad dexterum Appiæ viæ latus: unde mare Antiumque proſpicitur.* Denique quod eo prorſus loco, ubi nunc oppidulum *Civita Lavinia*, ſeu *della Vigna*, ſive *Indovina* ſedet, antiquitus fuerit Lanuvium, id videtur extra omnem dubii aleam collocare, quod Flavius Blondus Hiſtoricus in ſua Italia prodidit; in eo nempe oppidulo erutum fuiſſe, hodieque exſtare, inſcriptum lapidem, quem infra opportune afferemus in medium, in quo his notis tanquam clauſula, deſinebat M. Aurelio Commodo Antonino dicata, Inſcriptio:

f *Ital. Antiq. l. 3. p. mihi* 936.

g *Strab. lib.* 5.

S. P. Q. LANIVINVS

adhibito aliqua ætate vocabulo, *Lanivinus* pro, *Lanuvinus*; quemadmodum & alius Romæ lapis legendum præbet:

CVR. R. P. LANIVINORVM

Ceterum lapides alii non pauci apud memoratum oppidum, ejuſque in vicinia detecti, quique in dies deteguntur, quos ibi proſtantes nos ipſi vidimus ac legimus, Lanuvii & Lanuvinorum mentionem perſpicuam facientes, Junonis quoque Soſpitæ Lanuvinæ, Lanuvii, circa id oppidum, antiquitus ſedem fuiſſe, ſatis

ſatis probant. Hos ſuis quemque locis hic dabimus. Ex his habes, quantum quidem prudenti conjectura aſſequi poſſumus, quonam Lanuvium loco fuerit exſtructum. Quamquam eruditis viris aliquibus viſum fuerit, eo loco qui nunc *S. Gennaro* dicitur, Lanuvium exſtitiſſe, quod ingentia ibi exciſæ urbis rudera & conſpiciantur & vero ſemiſepulta jaceant, quæ illico vel minima foſſione detegas ac deprehendas. Ceterum cum hic locus haud ita multum ab oppidulo *Civita Lavinia* diſtet, convenire omnibus facile poſſe crediderim, ſi omne id ſpatium ab antiqua urbe Lanuvio, ſuburbiis ac villis circa eamdem exſtructis occupatum fuiſſe merito pronuntiaverimus. Neque vero dubium ulli, quod in ipſa Appia via Lanuvium fuerit antiquitus, creari velim ex eo, quod illud *juxta Appiam* fuiſſe aſſeveraverim. Fuit namque *juxta*, ſcilicet *prope* ipſam viam, edito tamen loco, quod planiſſime conſtat ex iis quæ hactenus attulimus, teſtimoniis. Siquidem & Appia via *ſub Lanubio* in vetuſtis Itinerariis Tabulis conſtituitur; & Lanuvium ſupra ipſam ſedere Straboni memoratur; & ex illo Antium ac mare proſpici perhibetur: quod nonniſi in edito plane loco, præcipue cum ſilvis ac Luco Junonis Soſpitæ plena omnia ac protecta antiquitus forent, proſpicere licuiſſet. Quod & ex celebri Horatii loco magis magiſque illuſtratur, ita ad Galateam navigaturam ajentis: *h*

h *Od.* 27. *lib.* 3.

Impios parræ recinentis omen
Ducat, & prægnans canis, aut ab agro
Rava decurrens lupa Lanuvino,
Fœtaque vulpes.
Rumpat & ſerpens iter inſtitutum,
Si per obliquum, ſimilis ſagittæ,
Terruit mannos. — — — —

Quo-

Quorum carminum hæc eſt ſententia. Dehortaturus Horatius Galateam ab navigatione ſuſcipienda, miſerum Europæ caſum multis illi proponit quidem; ceterum, ſi in propoſito perſiſtat, fauſtum eidem iter precatur, & ab incommodis ominibus tutum; quæ impiis ut occurrant, auguratur. Cum vero in Græciam Romanorum more navigatura eſſet Galatea; adeoque per Appiam viam primo mannis vectanda, Brunduſium uſque, quo in navim de more conſcenderet; mala omina ab ejus itinere terreſtri primum, prece avertere ſe, profitetur Horatius; quæ impiis merito ut occurrant, imprecatur. Quare & *parræ*, aviculæ (Italis *parruzola*) geminatum cantum, & canis prægnantis occurſum, & *ravæ*, (hoc eſt, *ſubfulvæ* & nativi ac fere communis coloris) lupæ, ex agro Lanuvino in Appiam viam curſu deſcendentis, improviſum aſpectum, & ſerpentis indidem, ſagittæ inſtar velociſſime proſilientis, ac obliquo curſu viam interſecantis, velociſſimoſque equuleos (hi namque ſunt manni) ab inſtituto itinere deterrentis, infauſtum omen, ab Galatea in impios transferri, exoptat. Ex quibus habes Lanuvium ad dexterum Appiæ latus fuiſſe. Lupa enim ab agro Lanuvino in Appiam decurrens, (ut mali eſſet ominis, juxta Plinium) ab dextero occurrere debuit latere. habes rurſum, in edito loco Lanuvium ſitum; ſi enim lupa ab agro Lanuvino *decurrere*, ſcilicet *deorſum* in Appiam *currere* debuit, ut eſſet infauſta; editus profecto ager Lanuvio proximus fuit, ac proinde Lanuvium ipſum ſublime ſediſſe planiſſime conſtat. Ceterum ad lapidem antiquæ Appiæ ſeptimum circiter & decimum, dextero, Roma Capuam euntibus, latere, diverticulum videtur fuiſſe, quo ad urbem ipſam Lanuvium aſcendebatur. quæ demum

viginti plus minus mille paſſus Roma diſtabat. Porro, circa pontem, in ipſa Appia ſitum, quem nunc *di San Gennaro*, ſive *di San Gennarello*, vocant accolæ, Caſtellum aliquod Lanuvinorum exſtitiſſe olim crediderim, quod rerum venalium veluti forum, in ultro citroque per Appiam commeantium advenarum & convenarum commodum, opportune cederet. Quemadmodum de Corbione oppido, nunc *Nettuno*, in libro de Antiatibus diximus; fuiſſe illud ſcilicet forum rerum venalium, quod Antiates, pro vectorum atque nautarum commodis, conſtruxiſſent. Publicum certe diverſorium haud ita procul fuiſſe, vetuſtæ Itinerariæ Tabulæ memorant; in quo viatores, ad curanda corpora, & mutandos equos ſubſiſterent. Profecto, ipſum diverſorium, & oppidulum, ſive pagum *ſub Lanuvio* nominatum legimus, apud Ciceronem, in epiſtola Libri quartidecimi ad Atticum quinta, ſic: *Sed Brutum noſtrum audio viſum ſub Lanuvio*. Exinde autem certum locum, qui ſic vocaretur, deſignari hic a Cicerone cognoſcimus, quod in vetuſtis Itinerariis Tabulis hoc nomine ſignetur locus via Appia, in Lanuvii vicinia ſic: *Roma, via Appia Bobellas X. Aricia III. ſub Lanubio ..... Tres Tabernas ..... X. Terracina .....* Sunt qui tradant, hoc loci, nempe circa memoratum pontem, in ipſa Appia via, nemus, ſive lucum Junonis Argolicæ, (quæ eadem ac Soſpita) antrum draconis, & deæ ædem exſtitiſſe, quod tamen nullo ſatis ſolido argumento confirmant. Et permulti veteres lapides in colle oppidi *Civita Lavinia* eruti, loco qui incolis *Contrada S. Lorenzo* dicitur, cum præclariſſimis Junoni Soſpitæ factis dedicationibus, falſiſſimum eſſe, evidentiſſime evincunt. Maneat igitur, Lanuvinæ urbis ſitum a nobis, niſi hariolantibus ac di-

vi-

vinos agentibus, deſignari omnino ac ſtabiliri pro certo minime poſſe; illam tamen intra ſpatium a nobis huc uſque deſcriptum, & ab oppidulo *Civita Lavinia* nunc appellato, haud ita procul conſtitutam, certo certius, fuiſſe. De Conditore pariter, ea præter quæ de Diomede ex Appiani teſtimonio protulimus, vix certi quidquam, immo & probabilis, afferri poſſe. Si enim, quæ de Diomede diximus, fabulas inter velis computare; a priſcis tunc Aboriginibus, Pelaſgis, atque Sicanis, qui primi Italiam, & vero hanc potiſſimum Italiæ partem, incoluerunt, Lanuvii originem cogéris deducere. Quos etiam templi Junonis Argolicæ ſive Soſpitæ conditores fuiſſe *i* Ælianus & Silius *k* tradidere: vel Curetum populorum, qui ex Creta vagi, Italiam ipſi quoque antiquiſſimis temporibus aliquamdiu tenuere, utrumque, Lanuvium ſcilicet urbem, & Junonis ibidem templum, opus fuiſſe, cum Caſella *l* cenſebis: quod tamen ipſum nullo poteris tuto ſatis ac ſolido teſtimonio confirmare. Latini certe nominis Lanuvium ſemper fuit; tum quod intra Priſci Latii fines, tum quod Latinorum legibus contineretur. Itaque, antiquiſſima omnium apud Dionyſium memoria exſtat in Conſulatu T. Lartii Flavi & Q. Cloelii Siculi U. C. CCLVI. duodecimo poſt reges exactos, quæ Lanuvinos, inter Latinos ceteros, qui ad Conventum Latini nominis populorum, ad Lucum, ſive caput, Ferentinæ, prope radices Albani montis coiverant, diſerte recenſet. Ait enim in ea recenſione Dionyſius *m* Λανυῖνοι Λαβινιάται & Λαβικανοὶ *Lanuvini Lavinienſes & Labicani*.

i *Ælian. l. 11. c. 16.*
k *Sil. Ital. l. 8.*
l *Caſel. de Antiq. Ital. Colon. p. mihi 40.*
m *Dionyſ. lib. 5. Antiq. Rom.*

Et Cicero a finitimis populis Lanuvinos præclare diſcriminans, inter antiquos Latini nominis, præcipuos veluti nominat: *Itaque & ex Latio multi, & Tuſcu-*

ſculani & Lanuvini & ex ceteris generibus gentes univerſæ in civitatem ſunt receptæ; ut Sabinorum, Volſcorum, Hernicorum. n Quamquam Ardeates, qui Rutulorum principes erant, finitimos Lanuvini haberent. quorum, utpote inter Latinos atque Antiqui Latii intra fines computatorum, inſequenti libro monumenta ſeorſim perſequemur. *Lanuvium* nomen, vel ipſis priſcis temporibus, inflexum nonnihil atque immutatum ſæpius apparet. Siquidem & *Lanuvium*, & *Lanubium*; *Lanujum* quoque, & *Lanujon*; denique etiam *Lanivium* appellatum reperimus. Non tamen inter legitima ejus vocabula *Lavinium*, ut perperam multi, ob Lavinii oppidi vicinitatem, ſcripſerunt, recenſendum putamus. Populi vero *Lanumvini*, *Lanuvini*, *Lanuini*, & *Lanivini* appellati. *Lanuvii* nominis originem ab *lana*, ſive *lanugine*, ſive *pube* deductam, pronum eſt conjectari. quod, ſcilicet, oppidum Junoni ad pubertatis annos jam adultæ ſacratum, & templi ejuſdem fama ac prodigiis, ut vulgo quidem ferebant, celeberrimum foret. Certe *Lanuvium* pro *pube* ipſa uſurpatum apud Propertium (ſi Rhodigini interpretationi credendum) invenies. o Momentum conjecturæ adjungi poſſet ex illo, quod *Terracina*, urbs in Novo Latio quondam celebris, *Anxur* primo appellata fuerit ex vicinitate ac celebritate *Jovis Anxuri*, qui celebri templo ibidem antiquitus colebatur. Antiqua ſcilicet, Volſca p ſeu Graja, verius, lingua (ἄνευ ξύρου, *ſine novacula*) *Anxurus*, ſive *Anxur* barbatum quidem, at *ſine novacula*, h. e. *novacula non utentem* ſonabat; eoque habitu corporis, quamquam juvenili ætate, in eo templo Juppiter in ſigno exhibebatur. Unde Virgilius q:

queis Juppiter Anxurus arvis
Præſidet &c.

n *Cic. pro Balbo.*

o *Propert. Eleg. 8. lib. 4.*

p *Plin. lib. 3. c. 5. vid. Serv. in 7. Æneid. v. 799.*

q *Æn. lib. 7. v. 790.*

Ex

Prospectus Antiquae Vrbis Lanuvij, nunc Civita Lavinia, in sinistro Appiae Viae latere, Septemtrionem et Occidentem solem spectantibus, ex Ponte, uulgo di S. Gennaro; iuxta oppidulū ac templū eiusdem nominis dirutum.

Locus olim Sub Lanubio dictus, ubi Diversoria, et Emporium Lanuvinorum; in dextero latere Appiae Viae, in Orientem solem spectantibus; nunc S. Gennaro

Ex quo urbi nomen *Anxur* mutuatum; quemadmodum Horatius pulchre ſitum urbis ipſius deſcribens *r*:

Millia tum pranſi tria repimus, atque ſubimus
Impoſitum ſaxis late candentibus Anxur.

r *Satyr.* 5. *lib.* 1.

Quamquam Jovem potius ab urbe nomen accepiſſe, nonnulli ſcripſerint, & *Anxurum* ab *Anxure* derivatum, contenderint. Neque ego in alterutra tuenda ſententia minimum quid pugnem, vel immorer; cum ad aliquod tantum momentum origini, quam ſuſpicor Lanuvino nomini fuiſſe, addendum, hæc, quæ inſtituti ceteroquin noſtri non ſunt, huc adduxerim.

CAPUT II.

De Republica & Colonia Lanuvina.

QUÆ Lanuvinis ab exordio forma Reipublicæ fuerit, divinare magis, quam certis argumentis ſtatuere poſsumus. Quis enim, tot ante Romam Conditam ſæcula, tantum luminis in obſcuriſſima, ac potiori ex parte fabuloſa, rerum ſerie ac narratione affulſiſſe ſibi uni præſumſerit, ut in tam alto veterum ſcriptorum ſilentio, tantaque titubatione, ſtabilem ipſe pedem figere, ac, certa veluti de re, verba facere, prudenter poſſe, ſibi perſuadeat? Itaque conjecturam tantum, probabilem tamen, ſecutus, Lanuvinos ab ſui exordio propriam per Magiſtratum, cui *Rex* nomen eſſet, Rempublicam adminiſtraſſe, crediderim. Ita enim Græcis, a quibus originem Lanuvini primam traxere, mos fuit; ut urbs unaquæque, oppidum, pagus, inſula, ſuum peculia-

culiarem haberet regulum. apud illos, ſcilicet, quemadmodum nullum fuit olim ſine nomine ſaxum; ita nec ſine rege. Quod & apud gentes in Novo Orbe detectas paſſim uſuvenit. Quanto enim magis ſimpliciter, ac domi, populus quiſque continuit ſe ſe; tanto neque in externos ipſe dominatus, neque externa gens alia in ipſum dominata eſt. Hinc centurias regum in ſatis anguſto, perſæpe, regionis unius ſpatio, numeratas, leginus. Brevi tamen Lanuviorum Rempublicam ſuis regulis paruiſse, certum eſt; eamque in Latinorum regum qui Albam Longam tenuerunt, regni partem, cum Latio reliquo, conceſſiſe. Porro, vetuſtiſſimum Latinorum regnum (ut delecta ex fabuloſis vero proximiora amplectamur) quingentis & quadraginta duobus annis ad Romam uſque Conditam duraſse fertur. Quo tempore novemdecim *a* Latini reges hoc ordine nominantur. Primus omnium Picus, quem & Picumnum appellant, Saturni filius, annos ſeptem & triginta; cui Faunus filius quadraginta quatuor annorum rex in regno ſucceſſit. Tertius Latinus Fauni, a quo gens univerſa *Latini* appellati. Huic Trojanum Æneam, Lavinia filia in matrimonium accepta, ſucceſſiſe, vetuſta & communis eſt fama; treſque, circiter, annos regnum obtinuiſe, Latino defuncto, poſtquam triginta quatuor regnaſset annos. Patri inter deos indigetes collocato ſucceſſit in regno Aſcanius, per annos octo & triginta. Hic Lavinium urbem a patre conditam Latinorumque regum ſedem cum Alba Longa, quam ipſe ædificavit in dorſo montis, ad lacum; qui poſtea *Albani* dicti ſunt; commutavit. Fuitque ea ſedes Latinorum regum, donec cum regno ipſo urbs interiit. Aſcanio per annos viginti novem Silvius; mox Æneas Silvius triginta & unum;

dein-

a Liv. & Dionyſ. lib. 1.

deinde Latinus Silvius quinquaginta. Hunc Alba Silvius excepit, ac novem ſupra triginta annos Latinorum regno potitus eſt. Poſtea Capetus viginti quatuor regnavit; Capy per octo & viginti annos ſuffecto. Poſt Capyn, Capetus alter tredecim; poſt hunc, octo Tiberinus; qui in trajectu fluminis, cui nomen olim *Albula*, exſtinctus, aquis nomen *Tiberis*, ſive *Tiberinis*, fecit. Ab eo, bis viginti annos Agrippa. Mox Aremulus, ſive Alladius novemdecim, Aventinus triginta ſeptem, Procas tres ultra viginti regnavere. Aventinus autem, in colle juxta Palatinum ſepultus, nomen eidem *Aventino* fecit. Ceterum, Proca defuncto, Amulius, Numitore germano fratre natu maximo, cui jus in Latinorum regnum erat, vi pulſo, regnum tanta partum injuria, annos ipſos quatuor & quadraginta occupavit. donec ipſo in ſeditione per Romulum atque Remum, Iliæ Veſtalis ſororis ſuæ ex Marte (ut eſt in fabulis) filios, excitata obtruncato, Numitori Latinorum regnum eſt reſtitutum. Cujus regnandi tempus intra decimum nonum annum fuit definitum. Hoc exeunte, Romulus Iliæ, filiæ ejuſdem Numitoris, filius Romam condidiſſe perhibetur. Quæ Varronis ſententia fuit; inciditque hic idem annus, juxta meliorem temporum atque certiorem calculum inter milleſimum ducenteſimum quinquageſimum ab Orbe Condito; ante Reparatum vero, ſeptingenteſimum quinquageſimum quintum. Porro ab Urbe quoque Condita Latinorum regnum apud Albanos octoginta ſaltem annos duravit; quamdiu ſcilicet Romæ ab Romulo & Numa regnatum eſt. Quo tamen tam diuturno intervallo, exordia quoque Tulli Hoſtilii, qui tertius Romæ regnavit, comprehendente, nullum Albanorum ſive Latinorum regum, præter Cluilium,

lium, qui contra Tullum bellum ſuſcepit, apud Livium nominari, mirandum eſt, & Metium Sufetium; neque illos quidem, *Regis*, ſed *Dictatoris* appellatione recenſeri. Cum ceteroquin Dionyſius Cluilium quoque, veluti Magiſtratum tantummodo, apud Albanos, ex eorum Senatus Conſulto gerentem commemoraverit. Tullo autem Hoſtilio in Romanorum regem ſuffecto, devicti Albani, eorumque urbs, per quingentos, minus tredecim, annos Latinorum regni princeps & caput, Alba Longa diruta. triginta quoque oppidorum, fere ex Latinis, in quæ Albani Colonias ſuorum deduxerant, regnum ad Romanos translatum eſt. His itaque Latinis regibus Lanuvium, ad id tempus, cum paruiſſet; eorumque ex Coloniis una, eaque inter præcipuas fuiſſet; ad Romanorum ditionem tranſiit. Mos tamen Reipublicæ gubernandæ, qui ſub Albanis, ſive Latinis regibus fuerat, idem etiam ſub Romanorum poteſtate Lanuvinis permanſit. Conveniendi, ſcilicet, inter omnes Latinos populos, ad Lucum, ſeu Caput, Aquæ Ferentinæ, ad radices Albani montis; qui locus multis hodie haud ita procul a recenti *Marino* oppido fuiſſe non immerito exiſtimatur; ibique Fauno, ſeu Pico, ſeu tandem verius Latino regi, ſub Latialis, ſive Latiaris Jovis appellatione, ſacrificandi; inque ſingulos, ſacrificii partem ſumendi; quam *viſcerationem* appellabant: fœdus inter ſe renovandi; ac denique de iis omnibus quæ futura eſſent e Latinorum omnium Republica, proſpiciendi. Quæ omnia *Feriæ Latinæ* dictæ ſunt; quaſque, etiam ſub Romanis regibus, Romanaque Republica, diutiſſime perduraſſe, comperimus. Diu Lanuvini in fide Populi Romani manſere; tamque illuſtri ac præclaro ceteris civitatibus exemplo, ut *fideliſſima urbs* merito fuerint nominati.

Verum,

Verum, anno qui M. Manlii mortem ſecutus eſt, (is ob affectati Romæ regni ſuſpicionem de Saxo Tarpejo ſententiis judicum fuerat dejectus) L. Valerio IIII. A. Manlio III. Ser. Sulpitio III. L. Æmilio III. Tribunis militum Conſulari poteſtate, hoſtes novi præter Volſcos & ſuſpectum Latium Lanuvini etiam, quæ urbs fideliſſima fuerat (Livii *b* verba) ſubito exorti. quamquam enim miti admodum ac leni imperio in Latinos Romani uterentur; eoſque nonniſi perhonorifico *ſociorum* nomine compellarent; nihilo tamen minus, Latini defecère non ſemel; & bellum ſimul omnes adverſus Romanos ſuſcepere. Hos inter, præcipuo loco Lanuvini. Itaque Pedanis, ipſis quoque Latinis populis, qui ab Romano exercitu obſidebantur, auxilio venere. Quod Livius tradit. *Venerant enim*, inquit, *&) ab Lanuvio Antioque auxilia*. *c* Et Antiatibus, Volſcis illis quidem, intra tamen Veteris Latii fines ſitis, iidem adverſus Romanum, communem Latinorum & Volſcorum hoſtem, ſe conjunxerunt. *Aricinos tamen*, pergit Livius, *Lanuvinoſque &) Veliternos Antiatibus Volſcis ſe conjungentes ad Aſturæ flumen Mænius improviſo adortus fudit*. Hæc autem in Conſulatu L. Furii Camilli & C. Mænii Nepotis geſta ſunt, anno ſcilicet Urbis Conditæ trecenteſimo ſextodecimo. Bello demum Latino ab Romanis proſpere geſto; cum in Latinorum urbes diverſimode pro meritis animadverſum eſſet; multæque ſeveriſſime tractarentur; Lanuvini a Romanis, maximis honoribus, ultro iiſdem oblatis, in ſocietatem non modo, verum & in civitatem Romanam accenſiti ſunt. Tunc enim fuit, quando Lanuvinis, auctore *d* Livio, civitas data, ſacraque ſua reddita, cum eo ut ædes lucuſque Junonis Soſpitæ communis Lanuvinis municipibus cum Populo Ro-

b *Liv. lib.* 6.

c *Lib.* 8.

d *Ibidem.*

mano eſſet. Ex eo quoque tempore Lanuvium *Municipium* eſt appellatum, & Lanuvini *Municipes*. Fuere autem Municipiorum jura latiſſima, atque ampliſſima privilegia. Porro Municipium Lanuvinum honeſtiſſimum ſemper fuit, clariſſimiſque viris inclaruit, qui Romana, ut jam dictum eſt, Civitate donati, Magiſtratus quoque ſummos ingenti cum laude Romæ, totaque Romana Republica, obtinuerunt. quique illuſtres illas familias, quarum nomina & res geſtas infra recenſebimus, Populo Romano dederunt. Belli autem Punici ſecundi ætate & in Romanorum manſere fide, & Romanis exercitibus annonam & commeatus abundanter ſuffecere. *Siquidem Q. Fulvius*, inquit Livius [e], *quum, Annibalem Latina via iturum, ſatis comperiſſet; ipſe per Appiæ municipia, quæque propter eam viam ſunt, Setiam, Coram, Lanuvium, præmiſit, ut commeatus paratos & in urbibus haberent, & ex agris deviis in viam proferrent*. Non ſolum autem commeatus Lanuvini, in maximis belli Punici anguſtiis, arctiſſimiſque rebus, Populo Romano abundanter, ſed & ſtrenuos milites ſubminiſtravere: Hos Silius inter Latinos ceteros ſic recenſet: [f]

Sacra manus Rutuli, ſervant qui Daunia regna,
Laurentique domo gaudent, & fonte Numici;
Quos Caſtrum, Phrygibuſque gravis quondam Ardea miſit,
Quos celſo devexa jugo Junonia ſedes
Lanuvium, ac altrix caſti Collatia Bruti:
Quique immite Nemus Triviæ, quique Oſtia Tuſci
Amnis amant.

Quam ſtrenue vero eo bello Lanuvini ſe geſſerint, Silius idem teſtimonio præclariſſimo ac documento eſt. Cum enim Capua Romæ æmula ad Annibalem jamdiu defeciſſet; eamque ob defectionem res Romana inclinata adeo fuiſſet, ut parum abfuerit, quin Ro-

[e] *Lib.* 26.

[f] *Lib.* 8.

Romanum nomen penitus a Punicis armis exſtingueretur; in ejus urbis recuperatione, in qua tantum momenti pro alterutra, cui cederet, parte, ſtabat; Milo Lanuvinus, ac Lanuvinorum dux, eo quod in Capuæ muros primus aſcenderat, a Q. Fulvio Conſule, Romanique exercitus duce murali corona, publice ac perhonorificentiſſime, donatus eſt. En Silii carmina *g*: g *Lib.* 13.

Jamque ſuperſtantem muro, ſocioſque Milonem
Voce attollentem pubes Campana videbat.

Atque infra ex Fulvii Conſulis perſona:

Lanuvio generate (inquit) quem Soſpita Juno
Dat nobis, Milo, Gradivi cape victor honorem,
Tempora murali cinctus turrita corona.

Quod autem Lanuvinus hic Milo fuerit, Siliique carmen ita legi debeat, *Lanuvio generate ..... Milo*, non autem *Lavinio generate*, ut perperam mendoſa quædam exemplaria exhibent; omnia evincunt. In primis templum Junonis Soſpitæ, quod Silius hoc loco memorat, quodque certo certius Lanuvii fuit, non Lavinii. Deinde lex carminis. ſi enim dicas *Lavinio generate*, ſecundam vocis *Lavinio* ſyllabam, quæ longa eſt, abſque ratione corripies; ſi autem dixeris *Lavino generate*, contractione utéris nominis *Lavinium* apud antiquos minime uſitata. Siquidem apud probatos Latinitatis ſcriptores *Lavinus* & *Lavina* adjectiva ſunt nomina ex *Lavinio* primitivo ſuo derivata, ut vel ex illo tantum Virgilii, *Lavinaque venit littora*, ſatis conſtat. Denique reſpexit Silius in Milonis hujus virtute recenſenda & laudanda, ad T. Annium Milonem Lanuvinum Publii Clodii interfectorem, pro quo celeberrima illa exſtat Ciceronis Oratio. At T. Annium Milonem hunc Lanuvinum, non Lavinienſem aut Lavinatem fuiſſe, ſex-

centa apud ipſum Ciceronem ea in Oratione teſtimonia confirmant. *Lanuvio* igitur *generate - Milo* apud Silium omni dubio procul legendum eſt.

Ceterum, Colonia quoque Romanorum Lanuvium deducta eſt. quo tamen tempore potiſſimum, aut a quo primum deducta, minime conſtat. Certe Civili bello inter C. Marium & L. Sullam exorto, Lanuvium Colonia erat. Legimus namque, hanc urbem, quod Sullanæ factionis eſſet, una cum vicinis ejuſdem factionis Coloniis a Mario devaſtatam fuiſſe. Scilicet L. Florus in T. Livii Hiſtoriarum Epitome *h*: *Marius* inquit, *Antium & Ariciam & Lanuvium Colonias devaſtavit*. Ita enim cum Cluverio legimus, non *Lavinium*, ut male nonnulli; atque ita legendum eſſe *Lanuvium*, Appianus iiſdem omnino verbis, (ſi quod Græce ſcripſit, exceperis) fatis evincit. Ait enim, Μάριος ὁ μὲν Ἄντιον καὶ Ἀρίκιαν καὶ Λανούβιον *i*: *Marius autem ſuſtulit, perdidit Antium, & Ariciam, & Lanuvium*. Ex his haud debilem infirmamque conjecturam facere licet, Lanuvium a L. Sulla paulo antequam Marius illam vaſtaret, Coloniam fuiſſe deductam; tum quia in illam Marius potiſſimum, tamquam in Sullanum opus, exarſit; tum quia Ariciam Lanuvio proximam, eodemque Marii furore vaſtatam, paulo ante a L. Sulla Coloniam deductam fuiſſe, ex Frontino certo cognovimus. Ait enim Frontinus, in eo quem de Coloniis librum conſcripſit: *Aricia oppidum Lege Sullana eſt munitum*. ex quibus etiam locus Strabonis a Cluverio reſtitutus aſſeritur; in quo Lanuvium Romanorum Coloniam nominavit. τὸ Λανούβιον πόλις ἄποικος Ῥωμαίων. *Lanuvium urbs habitata a Romanis*, ſcilicet, *Colonia* Romanorum. Attamen hanc ipſam urbem, quo tempore Coloniam fuiſſe ex hactenus allatis teſtimoniis ſatis conſtat, etiam

h *Epitom. Liv. l.* 80.

i *Bell. Civ. Lib.* 1.

Mu-

Municipium, illudque honeſtiſſimum, & Tullius, &, poſt illum longo tempore, Tacitus nominavere. Et Tullius quidem, ad calcem Orationis pro Lucio Licinio Murena Lanuvino habitæ: *k Date*, inquit, *hoc ipſius pudori, date patri mortuo, date generi & familiæ. date etiam Lanuvio Municipio honeſtiſſimo, quod in hac tota cauſſa frequens ac mœſtum vidiſtis.* Tacitus autem: *l Sulpicius*, inquit, *Quirinus ortus apud Municipium Lanuvium*. Quod quidem ad Ciceronem attinet, de Lanuvio is loquebatur, antequam Nova Militaris Colonia ab C. Cæſare Dictatore eodem deduceretur, cum jura & nomen Coloniæ antiquitus a Sulla deductæ, poſt Marii vaſtitatem, jamdiu amiſiſſet, vetuſque Municipium appellaretur. Certe Frontinus Coloniam militum ab Dictatore Lanuvium ductam prodidit diſertis verbis: *Lanuvium vero*, inquit, *muro ductum; Colonia deducta a Divo Julio. Ager ejus, in limitibus Auguſteis, pro parte eſt adſignatus militibus veteranis, & pro parte Virginum Veſtalium, lege Auguſtana, fuit adſignatus. ſed poſtea Imperator Hadrianus Colonis ſuis agrum adſignari juſſit*. Ex quibus etiam rationem habes, quam Julius Cæſar, in nova Lanuvium deducenda ſuorum Colonia, adhibuit. Muro enim urbem circumdedit, cum fortaſſe ex Mariana illa vaſtatione vel penitus, vel certe potiori ex parte, mœnia ejus in ruinis adhuc jacerent. Ceterum ab Auguſto Colonorum numerum auctum, innuit Frontinus; dum, Lanuvinum agrum in limitibus Auguſteis, ſcilicet ab Auguſto definitis, atque metatis, pro parte militibus veteranis adſignatum fuiſſe, deſcribit. Qui namque Coloniam aliquam, militum præſertim, ac multo magis veteranorum, deducebat; idem iis agri partem, quam colerent, ac unde commode pro laborum militiæque præmiis ſuſtentarentur,

k *Cic. pro Muren. in fin.*

l *Tacit. Annal. l. 3.*

ad-

adſignabat, ac dividebat. Porro Auguſtus idem, lege lata, ejuſdem Lanuvini agri partem virginibus Veſtalibus attribuit. Auctam rurſus eamdem Coloniam ab Hadriano, Frontinus ſignificavit; immo de novo ex militibus ſuis deductam. Siquidem diſerte tradit, Hadrianum Colonis ſuis agrum adſignari juſſiſſe. illum nempe agrum, quem, lege lata, Auguſtus Veſtalibus attribuerat. Ex qua tam frequenti novarum ſemper Coloniarum deductione Lanuvium facta, ſoli ubertatem & amœnitatem, quippe quo tanto numero, idemtidem, ad promerita in ſenectute capienda otia, milites deducerentur, cognoſcere atque perpendere ſatis poſſumus. Certe Cicero Lanuvinum agrum, quique circa ipſum Latini ſunt, cum fertiliſſimis felicis Campaniæ quibuslibet non immerito comparari potuiſſe putavit: inquit enim: *Ipſum hercle Lanuvium*, m *Ariciam*, *Tuſculum cum Calibus*, *Theano*, *Neapoli* &c. *comparabunt!* Ceterum, Lanuvini Antonino Imperatori quaſi reſtitutori Coloniæ, ſtatuam publice poſuere, in cujus inſcripta baſi, ſe ſe, & *Senatum*, & *Populum*, & *Veteres* utroſque nominavere. En illam, qualem Gruterus nobis ſervavit, ac tradidit, ex Pighii, Urſini, Ligorii, Gudii, aliorumque eruditorum virorum, accuratiſſima recenſione: *n*

m *Orat. de de leg. Agr. contra Rull.*

n *pag.* 253. *Lanuvii in Latio.*

IMP. CAESARI
DIVI HADRI // ANI F.
DIVI TR // AIANI
PARTH // ICI NEP
DIVI // NERVAE PRONEP.
T. AELI // O HADRIANO
ANT // ONINO AVG. PIO
PONT. // MAXVMO TRIBVN
POTEST // AT. II. COS. II. P. P.
SENAT // VS POPVLVSQVE
LANV // VINVS VETERES

Quam ſic in duas partes diviſam deſcribendam curavimus, ut fideliter fragmentum lapidis repræſentaremus. In ea vero peculiariter id notandum; quod Lanuvini Senatum adhuc haberent, & Populum, quaſi libera omnino civitas eſſent, atque Reſpublica. Cum tamen contrarium potius omnino conſtet; eos ſcilicet Antonino Imperatori, cui ſtatuam ſe poſuiſſe confirmant, in omnibus paruiſſe. Itaque formula illa, *Senatus Populuſque Lanuvinus*, publice tantum eam ſtatuam fuiſſe Antonino poſitam, vere ſignificat; eſtque communis omnium urbium ac populorum formula, ex celeberrima illa Romanorum: *Senatus Populuſque Romanus*, quam ſic conciſam S. P. Q. R. a Sabinis mutuatam referunt, cum ii hanc interrogationem: *Sabinis Populis Quis Reſiſtet?* in bellicis ſignis inſcripſiſſent, Romanique iiſdem prorſus uſi elementis, *Senatus Populuſque Romanus*, præclare reſponderunt. In aliis quoque lapidibus, quos infra dabimus, *Senatum Populumque Lanuvinum*, ſeu *Lanivinum*, deſcriptum expreſſumque reperies *o*, in ea nempe quam Agilio Septentrioni Pantomimo ſtatuæ publice erectæ appoſuere, inſcriptione, & in altera ad ſtatuam Otacillæ Julii Philippi Imperatoris conjugis, ſic legenda: *p*

o *vid. infra Cap.* 3.

p *ex Ligor. v.* Lanuvio.

MARCIAE OTACILLAE
SEVERAE AVGVSTAE
IMPER. M. IVL. PHIL. AVG.
CONIVGI
S. P. Q. LANIVINVS

Et ſub ſtatua T. Aurelii Auguſti liberti cum hac dedicatione, quam in oppido *Civita Lavinia* legimus:

T.

T. AVRELIO
AVG. LIB.
APHRODISIO
PROC. AVG.
A RATIONIBVS
S. P. Q. L.
DEDIC. Q. VARINIO Q. F.
MAEC. LAEVIANO AED.

En tibi alius Lanuvinorum Magiſtratus, *Ædiles*. quorum etiam Romæ erat, locum collocandis ſtatuis publice aſſignare, eaſque rite ac ſolemniter dedicare.

Profecto in dedicatione ſtatuæ Antonini, ſe ſe *Veteres* Lanuvinus Senatus Populuſque nominavere; quod glorioſum maxime ſibi ducerent, antiquiſſima patria eſſe; quodque veteris, quodammodo, Majeſtatis ac Libertatis antiquorum Lanuvinorum in poſſeſſionem, jure veluti poſtliminii, ab Antonino ſe ſe reſtitutos fuiſſe, ſibi blandirentur. Ita & Propertius Vejos, quondam potentiſſimum Hetruriæ populum, *Veteres* nominavit: *q*

q *Eleg.* 10. *lib.* 4. *v.* 27.

Et Veji Veteres, & Volſcûm regna fuiſtis,
Et veſtro poſita eſt aurea ſella foro.

Num vero Res Lanuvina ad Dictatorem venerit aliquando, affirmare minime auſim. Non me fugit, Romanos ab Latinis hunc Magiſtratum creandi morem accepiſſe; Albanorumque ab Livio Dictatorem, & Tuſculanorum, inter ceteros *r*, memorari. Quis autem vel ex adoleſcentulis illud Tullii non legit in Miloniana? *Erat autem Dictator Lanuvii Milo*. Verum ex hoc teſtimonio vix aliud certi poſſis colligere, quam quod Milo, *Dictatoris* ſacro veluti munere ac ſacerdotio Lanuvii fungeretur. Siquidem ad prodendum

r *Lib.* 1. & *lib.* 6.

dum demum flaminem hunc Dictatorem Lanuvium ſe contuliſſe, teſtimonium idem confirmat. Hoc quidem certum eſt, Lanuvinam civitatem ſub Imperatoribus, etiam *Rempublicam*, vulgari omnium locorum vocabulo, appellatam, & Romæ virum aliquem, ſemper, auctoritate pollentem, qui ejus curam ageret, ne quid caperet detrimenti, habuiſſe. *Curatorem* hunc Reipublicæ Lanuvinorum, ſive Lanivinorum, exhibet lapis magnus apud Gruterum, ad Cardinalis Carpenſis ſuburbanam villam delatus, ex vico nunc *Corocollo*, forte olim *Caracalla* appellato, Gabios inter & Tiburtinos; ex magnifici operis demolito ſepulcro, quod ſtatuæ ornabant. Itaque ſub C. Cæſonii ſtatua inciſi hi tituli: *f* *f pag.* 381.

C. CAESONIO C. F. QVIR. MACRO RVFINIANO
CONSVLARI SODALI AVGVSTALI COMITI IMP.
SEVERI ALEXANDRI AVG. CVR. R. P. LANIVINOR. II.
PRO. COS. PROV. AFRICAE. CVR. AQVAR. ET MINIC.
LEG. AVG. PR. PR. GERMAN. SVPERIORIS. CVR. ALVEI
TIBERIS CVR. R. P. TEANENS. LEG. AVG. PR. PR. PROV.
LVSITAN. CVR. R. P. TARRICINENS. PROCOS. PROV
ACHAIAE LEG. LEG. VII CLAVD. CVR. R. P. ASCVLAN
LEG. PROV. ASIAE. PR. LEG. PROV. BAETIC. TRIB. PL.
QVAESTORI PROV. NARBON. TRIB. LEG. I. ADIVTRIC
DONATO. DONIS MILITARIB. A DIVO MARCO
III. VIR. CAPITALI
PATRI DVLCISSIMO ET INCONPARABILI
CAESONIVS LVCILLVS FILIVS
CONSVLARIS

Cajus hic Cæſonius, igitur, bis Curator Reipublicæ Lanuvinorum inſcribitur; atque id muneris ſub Severo Alexandro Imperatore geſſiſſe, hinc docemur. Quam vero illuſtris ob res præclare geſtas, & magiſtratus obitos, idem fuerit, lapis ſingillatim recenſet; quem ſic inoffenſo pede legiſſe, ſatis fuerit: *Cajo Cæſonio, Caji Filio, Quirina,* (ſcilicet ex Tribu) *Macro, Rufiniano,* (Rufini forte alicujus hæredi) *Conſulari, Sodali*

dali Auguſtali, Comiti Imperatoris Severi Alexandri Auguſti, Curatori Reipublicæ Lanivinorum ſecundum, Pro-Conſuli Provinciæ Africæ, Curatori Aquarum & Miniciæ, Legato Auguſti, vel *Lege Auguſta, Pro-Prætori Germaniæ Superioris, Curatori Alvei Tiberis, Curatori Reipublicæ Teanenſium, Legato Auguſti, Pro-Prætori Provinciæ Luſitaniæ, Curatori Reipublicæ Tarricinenſium, Pro-Conſuli Provinciæ Achajæ, Legato Legionis Septimæ Claudiæ, Curatori Reipublicæ Aſculanorum, Legato Provinciæ Aſiæ, Pro-Legato Provinciæ Baticæ, Tribuno Plebis, Quæſtori Provinciæ Narbonenſis, Tribuno Legionis Primæ Adjutricis, Donato Donis Militaribus a Divo Marco* (ſupple ex Gruteri interpretatione, *Antonino Caracalla*) *Triumviro Capitali, Patri Dulciſſimo, & Incomparabili, Cæſonius Lucillus Filius, Conſularis, monumentum hoc poſuit, & exornavit.* Ego vero in tam longa titulorum ſerie explicanda non immorabor; nimis enim ab inſtituti operis propoſito abducerer, ſi in his interpretandis ſubſiſterem, quæ peculiare non immerito ſibi Commentarium implere poſſent. Et infrà, ubi de Junonis Soſpitæ Lanuvinæ templo ſermo erit, lapidem non abſimilem, licet dimidio plus brevioribus titulis exaratum, Publio Sextilio ſacrorum Lanuvinorum Junonis Curatori dedicatum, accurate interpretatum a nobis invenies.

Num autem Lanuvii per proprios Conſules Reſpublica fuerit adminiſtrata, poſt ipſius Romanæ Reipublicæ interitum, atque adeo Antoninorum ætate, ſub quorum imperio Lanuvina Civitas, eorum patria, maxime reſtituta ac celebrata eſt, dubitare quis poſſet. Ex eo quod Mevio Donato Lanuvino inſcriptus lapis, ſub ejus ſtatua olim, Conſulem illum nominet. Lapidem, quamvis vetuſtate atque tempeſtatum popellique injuriis penitus ferme corruptum atque exeſum, aliqua tamen ex parte, in oppido *Civita Lavi-*

nia,

nia, ante fores Sacræ Ædis principis, ubi proſtat, nuper ſic legimus:

C. MEVIO. C. F. DONATO
LANVINO CONSVLI
PROCONSVLI SICIL. I.
– – – PROVINCIAE. P. R.
– – – HONORI SI.....
– – – PROVINCIAE
– – – – – – SVI LATIVM
– – – – – – – – – VMBRO..
– – – – – – AELI. C. AVG.

Num vox illa *Lanuino* adjungenda tantum nomini Mevii Donati eſt, ut illum civem Lanuvinum fuiſſe ſignificet; num vero voci *Conſuli* eſt conjungenda, ita ut Mevium Donatum *Conſulem Lanuvinum*, ſive *Lanuvinorum*, fuiſſe, intelligamus? Res mihi ſit incertiſſima. Potuit enim Mevius hic e Romanis, ſuffectis ſaltem, Conſulibus unus fuiſſe; potuit æque Lanuvii Magiſtratum, qui *Conſulatus* diceretur, adminiſtraſſe. Scimus enim alias Latii urbes, ut, puta, Tuſculum, peculiares ſuos Conſules habuiſſe. quamquam id vel antequam in Romanorum poteſtatem venirent, vel certe ipſa Romana florente Republica contigiſſe, tantum, videatur. Ego vero eruditioribus viris litem hanc decidendam lubens permitto.

CAPUT III.

De Lanuvinorum Templis.

COMPLURA, immo plurima, Lanuvii, diis, deabusque exstructa atque dedicata fuisse templa, ingenti mole conspicua, cultuque ac religione præclara, urbis vetustas atque nobilitas fidem faciunt; & luculentum Ciceronis testimonium. qui libro secundo de Finibus postquam dixisset L. Thorium Balbum fuisse Lanuvinum, de ipso sic addidit: *Ita non superstitiosus* (fuit Thorius) *ut illa plurima in sua patria sacrificia, & fana contemneret*. Ceterum, de illis, si Junonis Sospitæ unum excipias, vix ulla ad nos scriptorum monumenta pervenere. Paucula nihilominus, quæ, improbo sane labore, conquisita sparsim collegimus, hic apponimus; de Junonis ejusdem celeberrimo templo, in sequenti capite, fusissime narraturi. Primum omnium, itaque, Jovis templum Lanuvii quondam fuisse, vetus inscriptus lapis a Pyrrho Ligorio allatus *a*, quem circa Lanuvium effossum refert, argumento esse potest. Hunc ita legimus:

a *Ligor. lib. A. L. v.* Amia. *& Fabrett. c. 9. f.* 603.

M. AMIVS M. F. PAL. BALBVS
SACERDOS IVNONI REG. SISP
ITAE LANVMVIANAE FECIT
VIVENS ET AMIO IVNIO FI
LIO SACERDOTE IOVI SISP.
ET AMIAE MATRI PIISSIM.
IN FR. P. XIIX. IN AGR. PED. XXVI.

Ex hoc enim lapide Amium Junium Marci Amii Lanuvini filium sacerdotem Jovis *Sispitis* seu *Sispiti*, nem-

nempe Soſpitatoris, Lanuvii fuiſſe, comperimus. Quare Jovi templum ibidem exſtructum, non immerito quis colligat. Quod tamen Junonis Soſpitæ templo conjunctum fuiſſe, & ejuſdem veluti pars exſtitiſſe videtur. Siquidem tum allata inſcriptio, tum altera, quam mox afferam, Jovem Junoni Lanuvinæ conjungit; unde duo hæc numina a Lanuvinis eodem ſimul templo coli conſueviſſe, veriſimile eſt. Habet enim alter apud Lanuvium erutus lapis, ex Fabretti teſtimonio *b*:

b *Fol.* 754. *c.* 10.

IOVI OPTIMO MAXIMO ET
IVNONI REGINAE
SACRVM
M. CORNELIVS M. F. M. N.
LENTVLVS PRAEFECT
FABR. OSTIEN.
IIII VIR QVINQ.
SVA PECVN.
V. S.

Cujus conciſas notas infra, ubi de Junonis templo, interpretabimur. Lanuvinum hunc Jovem, *Jugum* aliquando vocatum, docet nos Lanuvinus lapis, apud Ligorium *c* his notis:

c *v.* Xanthiano.

IOVI IVGO CONSERVATORI
PRAED. XANTHI
M. AVRELIVS M. AVRELJ
COMM. AVG. LIBERTVS XAN
THVS MINISTRATOR
OPER. SCAMBILLORVM
THEAT. VNIVERS.

Ita

Ita vero Juppiter *Jugus* eſt appellatus quemadmodum Juno *Juga* ſive *Jugalis* eſt dicta. ſcilicet quod jugandarum puellarum ſeu conjugio firmandarum præſides haberentur. Ceterum, & aliud Jovis templum Lanuvii in foro, aut circa forum fuiſſe, Livii verba innuere videntur *d*. Ait enim V. C. A. DLII. de cælo tacta fuiſſe viam publicam Vejis, forum & ædem Jovis Lanuvii, Herculis ædem Ardeæ. De hoc tamen Jovis templo nullum, præter hoc Livii teſtimonium, vetuſtum monumentum invenimus. Martis quoque *Paciferi* ædem, ſive aram Lanuvii exſtitiſſe, probat inſcriptio, Martis ſigno olim Lanuvii appoſita *e*:

d *Liv. lib.* 32.

e *Ligor. v.* Ara di Marte.

MAVORTIO SACRVM.
HOC SIGNVM
A SERVO TANGI
NEFAS EST

Ideo autem *Paciferi* Martis ædem, ſive aram deſignat inſcriptio; quia ſignum ipſum Martis a ſervo tangi nefas eſſe, edicit. Mars enim, in bello qui capiuntur, ſervos facit. Signum proinde Martis quod a ſui cultu & veneratione, publico edicto, ſervos arcebat, id nonniſi Martis Paciferi fuit; ſcilicet Martis qui finitis bellis, pacis per arma partæ præſes & cuſtos incorruptiſſimus eſſe volebat; quique ipſo bello nil aliud quam ſecuriorem ſtabilioremque pacem inferre intenderat. Mars hic Pacifer Lanuvinus & Mars *Victor* idem eſt appellatus; ſiquidem Lanuvino Marti Victori Claudia Peneleia pro mariti ſalute votum fecit his verbis: *f*

f *Ligor. v.* Pambeo.

MA-

MAVORTIO VICTORI
PRO SALVTE T. CLAVDI
PAMBEI LANISTAE
CLAVDIA PENELEIA
MARITO FIDELISSIMO
SVA PECVNIA
VOT. SOL. LIB. MERITO.

Porro, Apollinis templum Lanuvii conſpicuum, quodque plures ſacerdotes curarent, Agilii Septentrionis inſcriptio ſatis evincit. Hæc enim, Lanuvii effoſſa, ſic habet, ut ipſi lapidem legimus:

M. AVRELIO. AVG. LIB.
AGILIO. SEPTENTRIO
NI PANTOMIMO. SVI
TEMPORIS. PRIMO. SACERDO
TI. SYNHODI. APOLLINIS. PA
RASITO. ALVMNO. FAVSTINAE
AVG. PRODVCTO. AB. IMP. M.
AVREL. COMMODO. ANTONI
NO PIO. FELICE. AVGVSTO
ORNAMENTIS. DECVRIONAT.
DECRETO. ORDINIS. EXORNATO
ET. ALLECTO. INTER. IVVENES
S. P. Q. LANIVINVS

Ad ſiniſtrum vero latus, fractum licet & mutilum, legimus:

-- -- -- -- CVS COMMODO
-- -- -- -- -- -- -- -- NTONINO
COSS.

Nem-

Nempe locus ſtatuæ iis Conſulibus aſſignatus. Ex hoc lapide igitur conſtat, quod Apollo templum Lanuvii habuerit & ſacerdotes & ſynodum, hoc eſt *Concilium*, ſive *Collegium*, ſeu tandem *ſacerdotum corpus*, qui *Paraſiti* inde dicebantur, quod ridiculi eſſent, & ad tibicinem tripudiarent, & in publico convivio ad Apollinis templum canerent. Ad hos alendos Paraſitos nummorum aliquid ab Aſtidiis Lanuvinis civibus legatum fuiſſe, memorat lapis in prædiis Caroli Bonelli, apud Lanuvium exſtans, quem nuperrime ipſi legimus in hæc verba:

Q. ASTIDIVS C. F. CELER PRO HONORE. AE....
Q. ASTIDIVS SP. F. APOLLINARIS. PATER. PRO HONO.....
ſic FLAMONI H-S X̄V̄.
IN REFECTIONEM PARASITI INTVLERVNT.

Licet alii pro *Q. Aſtidius*, utroque loco D *Aſtidius*, & pro *Paraſiti*, vel *Balnei*, vel *Balinei* legerint.

Sed & Mercurium templo auctum a Lanuvinis, percuſſus [g] nummus cum Mercurii hinc effigie, illinc cithara, a L. Papio Lanuvino Romæ Quæſtore, deſignat. Quemadmodum enim, Junonis Soſpitæ caput, in nummis Lanuvinarum familiarum impreſſum, Junonis ejuſdem templum Lanuvii celeberrimum fuiſſe, innuit; ita Mercurii imago in earumdem familiarum nummis repræſentata, illum Lanuvii templo cultum, probare congrue videtur. Hujus nummi cum ceteris accuratam interpretationem infra leges, ubi de Lanuvinorum familiis Romæ illuſtribus ſermo erit. Veſtam pariter cum Penatibus Lanuvii ædem habuiſſe, ubi perpetuo igne coleretur, nullus dubito; cum hæc, inter Trojana numina ab Ænea in Latium advecta, locum facile principem tenuerit; Lanuviumque in agro olim Laurenti fuerit, ac Lavinio urbi ab Ænea excitatæ proximum quam quod maxi-

[g] *ap. Jo. Vaillant in num. famil.* Papiæ.

me.

me. Quod & Alexander ab Alexandro, in Genialium dierum libris *h* memoriæ prodidit; ſcribens quod ex omnibus Magiſtratibus, ſoli Conſules, Dictatores, Prætoreſque Conſularibus auſpiciis creati, antequam adirent Romæ Magiſtratum, Lanuvii Veſtæ & Penatibus rem divinam faciebant. Niſi tamen Alexander, *Lavinii* his diis ab Romanis Magiſtratibus ſacrificatum, ſignificare voluit; & *Lavinium* cum *Lanuvio* idem veluti oppidum eſſe cenſuit. quæ, inter minus antiquos ſcriptores, opinio multorum fuit. quam tamen falſam omnino, toto hoc libro planiſſime demonſtramus.

h *Lib.* 3. *c.* 3.

Ruſticis etiam diis pluribus ædiculas, ſive aras, Lanuvii, nunc intra, nunc extra pomœrium, antiquitus excitatas, inſcriptæ nonnullæ iiſdem dedicationes produnt. Harum una Xanthiano e rure M. Aurelii Xanthi, qui M. Aurelii Commodi Imperatoris libertus inſcribitur, producta, Vertumnum & Cererem frugiferam nominat *i*:

i *Ligor. v.* Xanthiano.

VERTVMNO ET
CERERI FRVGIF.
SAC.
M. AVRELIVS NAP.
CAES. AVG. COMMOD.
LIBERTVS
XANTHVS

Vertumnus autem (nam de Cerere omnia notiſſima) deus fuit apud Latinos Romanoſque, idem qui *Proteus* apud Græcos; *Vertumnus* dictus, quod in omnigenas ſe ſe figuras verteret. Hic Pomonam Nympham adamaſſe perhibetur, cujus ſaltem conſpectu ſibi ut frui liceret, in nullas non formas ſe tranſmutaſſe. Mercaturæ alii Vertumnum præſidem invocabant, utpote quæ, res vertendo, exerceatur. Quapropter, ſimula-

crum prægrande fuerat illi Romæ conſtitutum, circa forum, in ultimo vico thurario, mercatoribus & inſtitoribus frequentiſſimo, quos *Thuſci turbam impiam vici* Horatius *k* vocavit. de quo & Cicero meminit, & Horatius idem ad librum ſuum verba faciens, *l*

k *Sat.* 3. *l.* 2.

l *Epiſt. xx. lib.* 1.

Vertumnum Janumque, liber, ſpectare videris;
Scilicet ut proſtes Soſiorum pumice mundus &c.

Alii Vertumnum deum fuiſſe humanarum cogitationum præſidem prodiere: quod ſapientis ſit mutare ſeu *vertere* conſilium; unde *iniquo Vertumno natos* dicebant homines, qui ſuas regere cogitationes non poſſent. Hinc Horatius pariter: *m*

m *Lib.* 2. *Sat.* 7. *v.* 14.

Vertumnis, quotquot ſunt, natus iniquis.

Denique, quod maxime ad rem noſtram facit, habitus eſt Vertumnus, eo quod Pomonæ maritus eſſet, fructuum per Autumnum præſes, ſimul cum conjuge. quemadmodum Zephyrum, Floræ maritum, florum, verna tempeſtate virentium, cum eadem Flora ſimul, patronum dixerunt. Inde autem *Vertumnum* dictum memorant, *quod anni vertentis* poma perciperet.

Robigus pariter, Ceres, & Flora æde culti, vel certe ara, ſtatua, vel ſigno, a Lucio *n* Ampſanio Merenda, non longe a Lanuvio repertus lapis in via Campana-Latina commemorat:

n *Ligor. v.* Ampſania.

ROBIGO ET CERERI ET FLORAE
SAC.
L. AMPSANIVS MERENDA LANVMVINVS
PRAEF. PRAETORIVS PECVNIA S
D. D.

De Robigo, qui deus frugum, ad cavendam in eis *robiginem*, ſive *rubiginem*, apud veteres ruſticos habebatur, nonnulla diximus noſtro de Antiatibus *o* libro; ubi & ſacrificii ſpecimen eidem facti, ex rei ruſticæ Latinis auctoribus, recitavimus.

o *Vulp. Vet. Lat. tom.* 3. *lib.* 4. *cap.* 3. *pag.* 44. *& ſeqq.*

CA-

CAPUT IV.

De Templo Junonis Sospitæ Lanuvii.

QUOD omnium maxime Lanuvinam urbem apud gentes universas, sæcula per quamplurima, illustravit, & celebratissimam reddidit, templum fuit Junoni Sospitæ dedicatum. Hujus tamen conditi tempus & conditoris nomen non satis liquet. Illud quidem ab iisdem qui Lanuvium urbem condiderunt, excitatum constat; ac proinde urbis ipsius æquale fuisse, in comperto est. Verum, cum de urbis Lanuvinæ origine & Conditoribus, minime inter scriptores conveniat; hinc factum, ut de Junonis quoque templi conditore, quisnam fuerit, res in incerto permanserit. Nos tamen, qui Appiani testimonio, in primo hujus libri capite recitato, Diomedem Græcum hominem (non Trojanum, ut quidam per errorem meminere) Lanuvinæ urbis conditorem fuisse, non temere nos credere, jam indicavimus; ad eumdem Diomedem, tamquam ad auctorem, celeberrimum Junonis templum Lanuvii excitatum, non immerito referendum, putamus. Quod si cui minime arrideat, ad Aborigines, Pelasgos, Curetas, atque Sicanos, antiquissimos, atque ex primis Latii populis & colonis, templi ejusdem originem, ille referat, per me licebit. *Sospitæ* titulo Junoni id templum dedicatum; quod in has terras, post tot emensos pelago labores, tot pererratos populos, post varios casus, post tot discrimina rerum, ab Junonis numine (quod maxime Græcis contra Trojanos favit) incolumem se se perductum fuisse, templi ejusdem conditor posteris omnibus perpetuo testatum voluerit. Est enim

Soſpes, ſi e Græco fonte originem verbi derives, (quemadmodum vere plurimarum Latinarum vocum eſt derivanda) eſt, inquam, *ſoſpes*, qui *ſalvo pede*, ex itinere, ad optatum denique locum pervenit. Scilicet ex σώζω *ſervo* & ὠδὸς *pes* compoſito vocabulo *ſoſpes*. Porro *Soſpita* Juno, Juno eſt *ſervatrix*, quæ ſcilicet, quos habet curæ, *ſalvo pede* ad deſtinatum terminum perducit. *Siſpita* etiam dicta eſt Lanuvina Juno, ut patet ex antiquis inſcriptis lapidibus Lanuvii effoſſis, quos infra recitabimus. Quamquam autem nullum ſit dubium, eamdem *Siſpitam* ac *Soſpitam* Junonem fuiſſe; non tamen acquieverim dicentibus, Junonem *Soſpitam* a Volſcis, propria eorum lingua, *Siſpitam* appellatam. Cum Lanuvium neque Volſci nominis, neque originis, neque linguæ, ſed Latinum Latiniſſimum ſemper fuiſſe, plane conſtet. Vel, itaque, lapidarii in incidendis iis notis, ut paſſim uſuvenire periti norunt, is fuit error, ut *Siſpitam*, pro *Soſpita* inſcriberet; vel certe deterioris ævi barbarie inquinatum illud vocabulum fuit. *Argolidis* etiam Junonis, templum idem fuiſſe aliquando appellatum, teſtatur *a* Ælianus his verbis: *Draconum quoque peculiaris erat divinatio. nam & apud* Lavinium *Latii oppidum, (quod nomen accepit a Lavinia Latini filia, quo tempore Latinus una cum Ænea bellum geſſit contra Rutulos, eoſque vicit: & condidit Æneas Trojanus Anchiſæ filius prædictum oppidum, quod Romæ quaſi avia dici poſſit. Ex hoc quippe profectus Aſcanius Æneæ & Creuſæ Trojanæ filius Albam condidit; cujus Colonia eſt Roma.) apud Lavinium hoc, inquam, ſacer eſt lucus magnus & opacus, juxtaque illum ædes Junonis Argolidis: in luco vero antrum eſt amplum ac profundum, quod draconis eſt cubile. In lucum quotannis virgines certis diebus ingrediuntur, quæ mazam geſtant manibus, oculos faſciis devinctæ. Eas recta ad latibulum divinus quidam*

a *Lib.* 11. *de Animalibus, cap.* 16.

dam ſpiritus deducit. Progrediuntur illæ ſenſim, ac pedetentim, ſine offenſione, ac ſi detectis oculis viderent. quod ſi virgines fuerint; cibos tamquam puros, & deo gratæ animanti convenientes admittit draco: ſin minus, non attingit; corruptas eſſe intelligens & divinans. Formicæ vero hanc relictam ab illo mazam minutatim confractam, ut levius ferant, e luco exportant, expurgandi gratia loci. Hoc cum fit, ab indigenis animadvertitur; & quæ ingreſſæ fuerant, indicantur, examinanturque; & cujus pudicitiam eſſe violatam conſtiterit, pœna legibus conſtituta plectitur. Egregie hic falſum fuiſſe Ælianum, dum Junonis *Argolidis* ædem, lucum, ac draconis in eo antrum, & reliqua de virginibus, quæ perſequitur, monumenta, apud *Lavinium* fuiſſe tradit, certiſſimum eſt. cum hæc omnia apud *Lanuvium*, non apud Lavinium, fuiſſe, quamplurima, eaque luculentiſſima, quæ mox afferam, ſcriptorum antiquiſſimorum teſtimonia ſatis ſuperque evincant, atque extra omnem dubii aleam prorſus conſtituant. Bene quidem Lavinii originem juxta fabulas, vel potius juxta fabuloſorum ſæculorum hiſtoriam, tradit: male tamen, ea quæ circa Junonem memorat, apud Lavinium ſtatuit. Et ſane mirandum, quod Ælianus Latinus homo, & domo Prænestinus, paucis, ſcilicet, milliaribus longe ab Lanuvio natus, in palmarem adeo errorem, dum de vicinia ſua ſcriberet, potuerit incidere. Quamquam enim, in Græcia educatus, Græce ſcripſerit; rem tamen adeo celebrem ac domeſticam, quod *Lanuvii*, non *Lavinii*, Junonis celeberrimum templum, lucus, & draconis divinatoris antrum, ſita eſſent, ignorare minime debuit. Niſi tamen ad Ælianum ab hac inſigni rerum Latinarum ignorantiæ nota liberandum, dicere velis, lucum Junonis Soſpitæ ſive Argolidis, tam magnum vaſtumque ac protenſum fuiſſe, ut Lavinatis quoque

agri

agri magnam partem occupaverit, antrumque draconis in ea luci parte quæ ad Lavinates ſpectaret, excavatum fuiſſe. Certe Lanuvium (apud quam urbem templum Junonis Soſpitæ, ac proinde lucus & antrum draconis divinatoris fuit) quinque ad ſummum mille paſſibus ex quorumdam ſententia *Lavinio* diſtabat. Cumque ſpatium, quod inter utrumque oppidum intererat, a luco potuerit occupari; hinc lucum apud Lavinium collocare, Æliano fortaſſe non abs re viſum. Adde, quod Lanuvium in agro olim Laurenti fuit: Laurentum autem, idem quod *Lauro-Lavinium*, ac *Lavinium* ipſum, ſcriptoribus plurimis memoratur. Placuit, itaque, forte (forte, inquam; conjecturam namque tantum, ad Ælianum tuendum, nunc ſequor) placuit, inquam, forte Æliano, ab Lavinio lucum Junonis denominare, ut ex ea urbe Romæ deductam originem commemoraret. quam adeo ſingulariter, de induſtria profecto, eſt perſecutus. Quod vero templum tam celebre Junonis, urbem inter utramque, Lanuvium ac Lavinium, conſtitutum, apud unam modo, modo apud alteram ſitum diceretur; novum hoc minime aut inauditum fuiſſet; cum & poſterioribus ſæculis, & noſtra ipſa hac ætate, multæ ſacræ ædes, vel ſtructura inſignes, vel prodigiis celebres, atque illuſtres, duas inter urbes exſtructæ, nunc ad unam, ad alteram modo pertinere paſſim dicantur. Hoc certe olim templo Junonis Argivæ nominatim accidiſſe memorant, quod Mycenas inter atque Argos, Peloponneſi urbes, ſitum erat; ut, quamvis in agro Mycenæo proprie fuiſſet primitus ædificatum, uſu tamen ab Argis denominaretur, & templum diceretur *Junonis Argivæ*. Ab oppidorum præcipue civibus, qui certatim, in patriæ decus, quidquid, quocunque tamdem titulo poſſint, trahere minime

nime prætermittunt. Cæterum Ælianus Lanuvinam Junonem Argolidem appellavit; non quod is peculiaris ejus titulus foret; cum potius ex Tullio, aliam ab Argiva Junone, Junonem Soſpitam Lanuvinam fuiſſe, ut infra diſſeremus, colligere ſit: verum ut templi originem ab Argivis Græciæ populis innueret; & Græcis ſui ævi, quos inter, & quorum ſermone ſcribebat, ita adblandiretur. *Reginæ* quoque nomine Lanuvina Juno ſæpe celebrata eſt. Ita inſcripti lapides paſſim apud Lanuvium effoſſi, quos adducemus; & nummus apud Urſinum, inter ceteros, in quo *b* Juno Lanuvina Soſpita, caprina pelle caput protecta, repræſentatur cum litteris I. S. M. R. *Juno Soſpita Magna Regina*. Quod autem deorum regina haberetur Juno, omnibus & lippis notum & tonſoribus eſſe, certum eſt. Jovis quippe, cui reges in ipſos imperium erat, & nil majus ipſo generatum, aut vigere quicquam ſimile aut ſecundum cenſebatur, fuit Juno & ſoror & conjux. juxta illud celeberrimum: *c*

b *Fulv. Urſin.* 258.

Aſt ego quæ divûm incedo regina, Jovisque
Et ſoror & conjux.

c *Virg. Æn.* 1. *v.* 46.

Maxima etiam dicta eſt aliquando Lanuvina Juno, ut ex antiqua inſcriptione Lanuvii effoſſa, quam infra dabimus, conſtat. Et hæc quidem Lanuvinæ Junonis peculiaria nomina. Quamquam, & Ardeæ, haud ita procul a Lanuvio, & Romæ in Aventino, celebre templum Junonis Reginæ fuiſſe, ſcimus. Illa vero communia apud alias gentes, quibuſque & Lanuvina Juno, & aliæ aliis in urbibus ejuſdem ſtatuæ, promiſcue appellabantur; videlicet *Caprotina*, *Kalendaris*, *Juga*, ſive *Jugalis*, *Pronuba*, *Julia*, *Auguſta*, *Lucina*, *Ilithyia*, *Placida*, *Matuta*, *Martialis*, *Fluonia*, *Moneta*, *Sororia*, *Lacinia*, *Gabina*, *Curitis*; *Argiva*, & quæ in vaſtiſ-

vaſtiſſimo fabularum oceano ſunt reliqua. De quibus præcipuis, utpote cum Soſpita Lanuvina Junone commune aliquid fere ſemper habentibus, pauca obiter ſuggeram. Nam *Caprotina* quidem dicta eſt Juno, quod illi Nonis Quintilibus, quæ *Caprotinæ* dictæ ſunt, primo a priſcis Latinis, mox etiam a Romanis, ſolemniter ludi fierent, & ſacrificaretur. Nonæ vero Quintiles inde *Caprotinæ* a Latinis dicebantur, quod mulieres ſub Caprifico, virgamque ex Caprifico, (quam arborem *Capram* quoque Latini priſci nominabant) præ manibus geſtantes Junoni ſacrificabant. Ita Varro *d*: *Nonæ Caprotinæ, quod eo die in Latio Junoni Caprotinæ mulieres ſacrificant, & ſub Caprifico faciunt, & e Caprifico adhibent virgam. Ob hoc toga prætexta data eſt eis.* A Romanis vero, Latinorum Antiquorum morem ſecutis, Nonæ Caprotinæ celebrabantur in honorem Junonis; quod eo die Romulum, ad Capræ paludem in agro Romano verba ad Senatores & populum facientem, *e* Juno ex omnium conſpectu eripuerat; & inter divos, *Quirini* nomine, collocaverat. Quod a Junonis numine præcipue factum, cecinit elegantiſſime Horatius: *f*

d *De L. L. lib.* 5.

e *Plutarch. in Romulo, & in Camillo.*

f *Od.* 3. *l.* 3.

-- -- -- protinus & graves
Iras, & inviſum nepotem,
Troica quem peperit ſacerdos,
Marti redonabo. illum ego lucidas
Inire ſedes, ducere nectaris
Succos, & adſcribi quietis
Ordinibus patiar deorum.

Nonæ autem Caprotinæ in aliquibus vetuſtis Kalendariis eodem notantur die ac *Poplifugia*, ſcilicet *fugæ Populi commemoratio*; quod eodem die, quo ad Capræ paludem Romulus repente diſparuit, horribili tempeſtate coorta, Regis Conditoriſque ſui raptu Roma-

nus

nus *g* populus conſternatus, in fugam ſe ſe tradiderit; præcipue cum rumor non bonus, ac fortaſſe nec falſus, repente excitatus eſſet, Romulum a Senatoribus, diuturni ejus regni tædio affectis, diſcerptum, & in partes, ſub toga, clam ab oculis plebis, ſublatum, videri deſiiſſe. Quamquam Varro ad Populi fugam, cum a Gallis fœdiſſime urbs fuit direpta, factum *h* retulerit; aliaque de eodem feſto Macrobius *i* memoraverit. Porro idem hic auctor Nonas Caprotinas in Junonis honorem ab ancillis celebratas, alia etiam de cauſſa, meminit; quam libro Saturnalium primo fuſius exponit. *Soſpitam* quoque Lanuvinam Junonem, *Caprotinam* jure appellaſſes, quod, caprina pelle protecta effigie, Lanuvii coleretur. Ceterum *Kalendaris* dicta eſt Juno, quod cujuſque menſis Kalendæ ab antiquis Latinis eidem fuerant dedicatæ, juxta illud Ovidii: *k*

Vendicat Auſonias Junonis cura Kalendas.

Unde Laurentes populi, quorum in agro Lanuvium erat, patriis religionibus edocti *Kalendari* Junoni templum dedicaverunt, ſingulorumque menſium Kalendis *l*, Junoni porca vel agna ſupplicabant. *Jugam* vero, *Jugalem*, & *Pronubam* veteres Junonem dixere, quod jugandis feminis, earum ſcilicet conjugiis, præeſſet, juxta illud: *m*

Junoni ante omnes, cui vincla jugalia curæ.

apud Latinos enim pervetuſto more, ſacrificiis peractis, ſponſi jugum a Sacerdotibus ſibi collo impoſitum ſubibant, & Junonem Jugalem invocabant; ut ab illa concordiam *n* in ſociali ſimul traducenda vita impetrarent. Ob hoc & *Pronubæ* vocabulo Juno appellata; quod, ad nubendum, prima viam veluti faceret, ac ſterneret. Itaque furtivarum Didonis nuptiarum *o*

g *Plutarch. in Romul. & Dionyſ. l. 2.*

h *Lib. 5. de L. L.*

i *Saturn. l. 3. c. 3.* c. 11.

k *Faſt. 1.*

l *Macrob. l. 1. c. 15.*

m *Virg. Æn. l. 4.*

n *Alex. ab Alex. Gen. Dier. l. 2. c. 5.*

o *Virg. Æn. 4. v. 166.*

Prima & Tellus & Pronuba Juno
Dant ſignum

Quamplurima idcirco vota a puellis, felix, fauſtum, fortunatumque conjugium impetraturis, Junoni Soſpitæ Lanuvinæ fiebant; & donariis tabelliſque votivis templi ejuſdem parietes ornabantur. *Juliam* vero Junonem ab Julia Gente nominatam, nullus dubito; eo quod Juliæ gentis peculiaris illi cura foret. Ita, ab Auguſto & Auguſtis, *Auguſta* dicta eſt. De *Lucinæ* vero nomine, quo Juno invocabatur, major eſt inveſtigatio. Siquidem, Lucinam Dianæ & nomen & officium fuiſſe, paſſim auctores teſtantur. Sic Virgilius: *p*

p *Eclog.* 8. *Caſta fave Lucina; tuus jam regnat Apollo.*

Et apertiſſime Horatius, Dianam ab puellis, partubus edendis in lucem (unde Lucina) invocatam, Ode ad Dianam tradit: *q*

q *Hor. Od.* 22. *l.* 3. *Montium cuſtos, nemorumque virgo,*
Quæ laborantes utero puellas
Ter vocata audis, adimiſque letho
Diva triformis.

Et in carmine ſæculari ad Phœbum & Dianam:

Rite maturos aperire partus
Lenis Ilithyia, tuere matres;
Sive tu Lucina probas vocari,
Seu genitalis
Diva, producas ſobolem; patrumque
Proſperes decreta, ſuper jugandis
Feminis; proliſque novæ feraci
Lege marita.

Unde & *Luna* per contractionem a voce *Lucina* dicta eſt Diana; & bene, juxta fabulas, edendis in lucem partubus præpoſita; quod a Luna pendeat eorum opportunitas; & poſt ſeptem novemve Lunas feliciter edan-

edantur. Ceterum, *Lucinæ* nomen & munus Junoni cum primis creditum. Sic Terentius parituram feminam inducens, immo actu jam parturientem, & præ uteri doloribus inclamantem, dixit: *r*

Juno Lucina, fer opem, ſerva me, obſecro.

Neque enim proprie interpretaberis quod eo loco, duas mulier illa deas, invocaverit, Junonem atque Lucinam, nempe Dianam. Quid enim ad antiquam hanc inſcriptionem dixeris? *ſ*

r *Andr. Act. 3. Sc. 1.*

ſ *Ap. Thomaſin. de Donar. c. 14. p. mihi 97.*

IVNONI LVCINAI
PRO FILIA PARVA LABORANTE
SVSCEPTO VOTO
STATILIA. D. D.

Et Ovidius Faſtorum ſexto, ex ipſius Junonis perſona, quamquam alia de cauſſa, Junonem Lucinam nominatam diſerte ſic tradidit:

An facient menſem luces, Lucinaque ab illis
Dicar; & a nullo nomina menſe traham?

Utramque, tamen, deam, apud Veteres, & *Lucinam* nominatam, & edendis partubus, tamquam præſidem, invocatam, allata hucuſque teſtimonia diffiteri nos minime ſinunt. Verum, Latinos illos, qui Dianam Lucinæ titulo, & partubus invocabant *Græciſſaſſe*, Græcorum morem ſecutos; qui vero Junonem Lucinam appellavere, *Latiniſſaſſe*, priſcorum nempe Latinorum patrium uſum conſtanter adhibuiſſe, Tullius *t* his verbis ſignificavit: *Ut apud Græcos Dianam, eamque Luciferam, ſic apud noſtros Junonem Lucinam in pariendo invocant.* Quamquam Catullus, Ciceronis æqualis, tamquam unum & idem numen, Dianam, Lucinam, Junonem, Triviam, & Lunam invocavit, ſic: *u*

Tu Lucina dolentibus

t *De Nat. Deor. L. 2.*

u *In Carm. ad Dianam.*

Juno dicta puerperis:
Tu potens Trivia, & notho es
Dicta lumine Luna.

Ilithyia vero dicta est utraque ex Græco Εἰλήθυια quasi *Propitia*: ab ἱλάω & ἵλημι *placo*. unde ἱλάσκομαι, *placor*, *propitius sum*. quod in imperativi modi primo, quod vocant, *aoristo*, facit ἵλαθι *placare*, *propitius* esto. *Ilithyia* itaque vox est, qua puerperæ parientes, Junonem in auxilium appellabant, quasi dicerent, *Juno sis mihi propitia, sis mihi placida*. Unde & nomen ipsum Latinum *Placidæ* inditum quandoque Junoni fuisse, apparet. Huic, in veteri lapide apud Thomasinum, puellula, quod Augustæ parituræ placida fuisset, primisque se incolumem annis conservasset, crepundia sic dedicat: *x*

x *De Donar. C.* 11.

IVNONI PLACIDAE
CONSERVATRICI AVGVSTAE
CLAVDIA SABBATIS
BVLLAM D. D.
ADDIT ET SCYPHVM ET
TRIPODEM FORTVNAE AVG.

Ovidius vero diversam quidem ab Junone Ilithyiam facit; attamen Junonis quasi ministram, ejusque jussa capessentem inducit. Ita enim de se paritura loquitur Alcumena: *y*

y *Metamorph. l.* 9. *v.* 249.

Incipit Alcmene: Faveant tibi numina saltem;
Corripiantque moras, tum cum matura vocabis
Præpositam timidis parientibus Ilithyiam;
Quam mihi difficilem Junonis gratia fecit.

Pergitque sequentibus signanter exponere, graphiceque describere, quo potissimum pacto Juno Lucina infensum Herculis partum diu distulisset, atque ma-

tri

tri difficilem reddidiſſet. Nomen quoque *Matutæ* Junoni aliquando tributum; quamvis Inûs Cadmi filiæ proprium fuerit, quam Græci *Leucotheam* dicebant, Latini *Matutam*, juxta illud: z

Leucothee Grajis, Matuta vocabere noſtris. z *Ovid. l. 6. Faſt.*

Cum tamen Auroræ, ſive Albæ deæ Matutinæ fuerit titulus, eamque cum Luna non ſemel antiqui ſcriptores promiſcue confuderint; hinc factum, ut Juno, quæ Luna, ipſa quoque, ut nuper notavimus, ſæpius eſt appellata, *Matuta* pariter aliquando dicta ſit. *Martialis* vero; quod Martem abſque viro genuiſſe ac peperiſſe credebatur. *Fluonia*, quod menſtruis mulierum fluxibus, ut rite procederent, præſes erat; ſanguiniſque *fluorem* (*a*) in earumdem conceptu retinere putabatur. *Moneta* vero, quod ex Capitolino ſuo templo monuiſſet Juno Romanos, ut terræmotum ingentem, ne is damno eſſet, ſuis feminæ ſacrificio averruncarent. Ita Tullius: * *Scriptum a multis eſt, cum terræmotus factus eſſet, ut ſue plena procuratio fieret, vocem ab æde Junonis ex arce exſtitiſſe; quocirca Junonem illam appellatam Monetam.* De illa quoque Valerius Maximus, Livius, Plutarchus, Ovidius, aliique meminere. *Sororia*, ob locum illi Romæ conſecratum, qui *Tigillus Sororius* appellabatur; *b* eratque in angiportu, quod a Carinis deorſum ad angiportum, ſeu vicum Cyprium, ducebat, ubi aræ erectæ ſtabant, & lignum ſupra eas tranſverſum, duobus parietibus inter ſe adverſis infixum, quod capiti exeuntium imminebat. Quam jugi, ſeu furcæ ſpeciem ſubire, ex judicum ſententia, juſſus eſt Horatius ille Romanus e tergeminis unus, qui tergeminos pariter Curiatios Albanos, ſolus e fratribus ſuperſtes, interfecit; imperiumque eo certamine ab Albanis in Romanos tranſtulit. quod nempe occurrentem ſibi, ex victoria cum infinito po-

a *Feſt. v.* Fluonia.

* *Lib.* 1. *de Divinat.*

b *Liv. l.* 1. *& Feſt.*

puli

puli plauſu redeunti, Horatiam ſororem, & in communi patriæ lætitia, unius e Curiatiis ſponſi ſui mortem importune deflentem, atque exprobrantem, interfeciſſet. Junoni autem tigillus ſororius idcirco conſecratus eſt a Romanis; ut violati, quodammodo, ab Horatio nuptiarum juris, queis Juno præſes, piaculum foret. Ceterum, Juno *Lacinia*, Juno erat in Promontorio Lacinio[c] apud Brutios prope Crotonem, templo magnificentiſſimo, quod Herculem poſuiſſe memorabant, celebrata. quod promontorium nunc *Capo delle Colonne* inde dicitur, quia exſtantes adhuc ex Junonis diruto templo Columnæ adparent. De hoc templo Virgilius: [d]

c *Liv. l.* 24. *Val. Max. l.* 1. *c.* 2.

d *Æn.* 3. *v.* 552.

Hinc ſinus Herculei, ſi vera eſt fama, Tarenti
Cernitur; attollit ſe diva Lacinia contra.

& Ovidius: [e]

e *Ov. Metam. l.* 15.

— — — — — præterque Lacinia templo
Nobilitata deæ, Scylaceaque littora fertur.

Ita *Gabina*, quæ Gabiis in Latio colebatur. de illa Virgilius: [f]

f *Virg. Æn.* 3. *v.* 682. *& ſeqq.*

— — — — — quique arva Gabinæ
Junonis, gelidumque Anienem, & roſcida rivis
Hernica ſaxa colunt, quos, dives Anagnia, paſcis,
Quos, Amaſene pater.

Curitis, ſive *Curetis*, quæ *Curibus* parvis Sabinorum oppido, nunc *Coreſe*, colebatur; in ſigno, cui haſta præ manibus erat, quod *haſta Curis* priſcis ſit dicta Sabinis. *Argiva* ab Argis in Peloponneſo, quam ſibi propitiam & placatam Æneæ ſocii, cum primis, eidem ſacrificando, curabant: [g] *Junoni Argivæ primos adolemus honores*. Porro ſexcenta alia ab regionibus, in quibus colebatur, nomina ſortita eſt Juno; quæ prope infinitum eſſet recenſere. Fuit enim Junonis cultus latiſſime tum Græcis tum Latinis communis; ut-

g *Æn.* 3. *v.* 547.

pote

pote quæ eſſet ex magnis dîs, ac majorum gentium præcipua. Hanc Ἥραν vel Ἥρην Græci nominabant, quaſi ἐρατὴν *amabilem*, quod Jovis in eam ſummus eſſet amor; Latinis vero, *Juno*, quaſi *juvo* a *juvando* dicta eſt. Fabularum namque interpretes, per Junonem aerem ab antiquis ſignificatum tradidere. Saturni atque Opis ſive Terræ filiam iidem Junonem fecere, atque a Thetide fuiſſe educatam, memorabant; quod aer aquæ humore alitur & inſtauratur. Curru quoque per aerem ferri eamdem, fingebant; quod aer perpetuo quaſi motu verſetur: pavoneſque ejus currui adjungebant; quod aer ſedes avium propria ſit. Ex Jove Vulcanum peperit; quod ultra aerem atque æthera, regionem ac ſedem ignis elementaris antiqui conſtituerint. Ceterum, Junonis templum Lanuvii in latere collis ſub ipſum oppidum, ubi ruderum vaſtæ moles adhuc exſtant, fuiſſe ædificatum, Cluverius exiſtimavit. *h* quamquam revera illud excelſo loco conſtitutum fuiſſe, Silius aperte ſatis deſignat: *i*

Sacra manus Rutuli, ſervant qui Daunia regna,
Laurentique domo gaudent, & fonte Numici;
Quos Caſtrum, Phrygibuſque gravis quondam Ardea miſit,
Quos celſo devexa jugo Junonia ſedes
Lanuvium, ac altrix caſti Collatia Bruti:
Quique immite Nemus Triviæ, quique Oſtia Tuſci
Amnis amant.

h *Ital. Antiq. L.* 3.

i *Lib.* 8. *de Bello Punico.*

Cum tamen Lanuvium *Junoniam ſedem devexam excelſo jugo*, dixerit Silius; & urbem & templum non in ſummo collis jugo, verum in dorſo ſtatuta, videtur innuere. Perperam in aliquibus Silii exemplaribus *Lavinium* pro *Lanuvium* legitur; perperam, inquam, manifeſtiſſime: tum quod *Lavinium* in planitie conditum, neque excelſo jugo devexum; tum

quod

quod Lanuvium ſedes fuit Junonia; tum, denique, quod lex carminis repugnaret; ſecunda namque ſyllaba vocis *Lavinium*, longa eſt; cum tamen in carmine brevis neceſſario eſſe debeat. Quod & apertius ex altero Silii teſtimonio confirmatur, libro tertiodecimo, ubi, Capua occupata, Fulvius dona militibus diſtribuens:

Lanuvio generate (inquit) quem Soſpita Juno
Dat nobis, Milo, Gradivi cape victor honorem,
Tempora murali cinctus turrita corona.

In hoc templo, in æde intus, ſignum erat Junonis, mulierem juvenili ac puberi ætate repræſentans, peculiari habitu, quo illam Lanuvini colebant, ſcilicet ſtantem, caprina pelle cum cornibus caput protectam, cum haſta, & ſcutulo, & calceis repandis; quod Tullius k refert: *Quid igitur cenſes? Apim illum ſanctum Ægyptiorum bovem, nonne deum videri Ægyptiis? Tam hercle, quam tibi illam noſtram Soſpitam, quam tu numquam, ne in ſomnis quidem, vides, niſi cum pelle caprina, cum haſta, cum ſcutulo, cum calceolis repandis. At non eſt talis Argiva, nec Romana Juno. Ergo alia ſpecies Junonis Argivis, alia Latinis.* Poſtremis quibus ex verbis ſic colligas opportune licebit; Lanuvinam Junonem, quamvis ab Æliano *Argolidis* titulo fuerit appellata, diverſo tamen cultu atque habitu fuiſſe, ab Argiva. Templi ſtructuram, ingentis molis, ac magnificentiſſimam fuiſſe, loci celebritas dubitare neminem ſinit. qualis tamen fuerit potiſſimum, vetuſtas & longiſſimi temporis viciſſitudines vix divinare permittunt. uſque adeo ipſæ etiam periere ruinæ. Circularis figuræ tamen (quæ communis ferme templorum fuit illuſtriorum) Junonis Lanuvinæ templum exſtitiſſe, conjecturam facio; inde adductus, quod Junonis quoque templa Romæ, illud præcipue quod Junonis

k *Cic. de Nat. Deor. l. 1. c. 29.*

Mo-

Monetæ in Capitolio fuit, rotunda ſemper ab antiquiſſimis eorumdem exemplis exhibentur. Interiores vero Lanuvini templi parietes, perquam nobili atque eleganti pictura undique conveſtitos, memorat Plinius; namque ſua ætate picturæ ejuſdem partem ſuperſtitem, tamquam ſcitiſſime elaboratam ſic celebrat *l*: *Exſtant certe hodieque antiquiores Urbe picturæ Ardeæ in ædibus ſacris, quibus equidem nullas æque demiror tam longo ævo durantes in orbitate tecti veluti recentes. Similiter Lanuvii, ubi Atalanta & Helena cominus pictæ ſunt nudæ ab eodem artifice, utraque excellentiſſima forma; ſed altera ut virgo; ne ruinis quidem templi concuſſæ.* Ex quibus habes, Plinii ævo Lanuvinæ Junonis templum in ruinis pæne exciſum jacuiſſe. Quamquam ab ſuccedentibus Imperatoribus, præſertim Antonino Pio, qui ex municipio Lanuvino erat, reſtitutum fuiſſe, credibile eſt; præcipue, cum in ejus vita Capitolinus, templa deûm ab ipſo reſtituta Lanuvii fuiſſe, ſcribat. Marſico quidem bello, circa Urbis Conditæ annum IↃCLXXXXVI. Junonis Soſpitæ templum Senatus Conſulto (cum per id tempus pæne fuiſſet vetuſtate collapſum) deorum veluti monitu, reſtitutum, prodidit Tullius *m*: *Quoties Senatus decemviros ad libros ire juſſit? quantis in rebus, quamque ſæpe reſponſis haruſpicum paruit? Cæciliæ Q. Filiæ ſomnio modo, Marſico bello, templum eſt a Senatu Junoni Soſpitæ reſtitutum; quod quidem ſomnium Siſenna, cum diſputaſſet mirifice, ad verbum cum re conveniſſe; tum inſolenter, credo ab Epicuro aliquo inductus, diſputat, ſomniis credi non oportere.* Porro a L. Julio Conſule de Senatus ſententia tunc fuiſſe refectum hoc templum, idem Tullius tradit *n*: *Quin etiam memoria noſtra templum Junonis Soſpitæ L. Julius, qui cum P. Rutilio Conſul fuit, de Senatus ſententia refecit ex Cæciliæ Balearici filiæ ſomnio.* Atque

l *Lib.* 35. *c.* 3. *de antiquiſſimis in Italia picturis.*

m *De Divin. l.* 1. *n. mihi* 84.

n *Ibid. n. mihi* 2.

hæc ipſa Tullii verba in templi fronte olim inciſa, vel certe haud multum immutata, non dubito; cum ſimiles reſtitutorum inſcriptiones in templorum frontibus & porticibus paſſim legantur. Ceterum, in templo Junonis ea depicta antiquiſſime crediderim, quæ ad deæ ipſius geſta pertinerent; proinde Herculeos omnes labores, quos nothum illum ſuum ſubire irata Juno coegit; fabulaſque reliquas, in quibus Jovis furta contra pellices ultam fuiſse Junonem, veteres memorabant. Puellarum quoque tum pro conjugiis ineundis, tum pro partubus edendis feliciter ſuſcepta vota, tabuliſque vel parietibus ipſis inſcripta, & pictura quoque delineata, quæ poſtmodum voti reæ attuliſſent, in eodem templo proſtabant. Quod vero de Atalanta atque Helena, cominus atque antiquiſſime ibidem pictis, tradidit Plinius, id factum ob multiplices utriuſque feminæ circa conjugia eventus; de quibus notiſſimæ fabulæ. Templum ædificia cingebant in ſacerdotum Junonis commodum exſtructa altiſſime, quorum in ſuperiore parte cœnæ publice habebantur, a quibus ea ædium pars *cœnaculum* dicta eſt. De his Varro Latinæ Linguæ libro quarto ait: *Ubi cubabant cubiculum, ubi cœnabant cœnaculum vocitabant; ut etiam nunc Lanuvii apud ædem Junonis, & in cetero Latio dicuntur. Poſteaquam in ſuperiore parte cœnare cœperunt, ſuperioris domus univerſa cœnacula dicta.* Eodem in templo, Jovis ſignum ſeorſim in cella fuit, quem *Jovem Siſpitum* ſive *Soſpitem* appellatum, & peculiaribus ſacrificiis a ſuis ſacerdotibus, qui alii ab Junonis Soſpitæ ſacerdotibus erant, nos docet vetus, apud Spanhemium & Fabrettum, in Lanuvinæ Junonis templi ruderibus reperta inſcriptio: *o*

o *Fabret. c. 9. f. mihi 603. & Spanhem. de præſt. & uſu num. p. 83.*

M. AMIVS M. F. PAL. BALBVS
SACERDOS IVNONI. REG. SISP
ITAE LANVMVIANAE. FECIT
VIVENS ET AMIO IVNIO FI
LIO SACERDOTE. IOVI SISP
ET. AMIAE MATRI. PIISSIM.
IN FR. P. XIIX. IN. AGR. PED. XXVI.

Quæ quidem ſequioris ac deterioris ætatis ſatis eſſe deprehenditur, cum nimirum, & *Lanumvianæ* pro *Lanuvinæ*, & *Sacerdote* pro *Sacerdoti* & *Jovi* pro *Jovis*, & demum, *Siſpitæ* ac *Siſpitis*, loco *Soſpitæ* & *Soſpitis* exhibeat. Unde & in ſententia confirmor, quod vox *Siſpita* non Volſca aut Oſca, ſed recentior multo illis populis, ac Latina quoque aurea lingua poſterior, barbarorum ſcilicet temporum, fuerit.

Jam vero id templum non modo Lanuvinis ac Latinis vicinis populis celebre, ſed univerſo quoque terrarum orbi notiſſimum evaſit; cum Romanis æque ac Latinis commune redditum eſt. Quod, L. Furio Camillo, C. Mænio Conſulibus, contigit. Cum enim Romani diu adverſus Latinos ancipiti marte prœliati fuiſſent; eoſdem ſibi potius muneribus, honeſtiſque conditionibus conciliare, quam aut internecione delere, aut ſuſpectos ſemper atque moleſtos hoſtes cavere, ſatius fore conſtituerunt. *p Relatum igitur de ſingulis, decretumque. Lanuvinis civitas data: ſacraque ſua reddita, cum eo, ut ædes lucuſque Soſpitæ Junonis communis Lanuvinis municipibus cum populo Romano eſſet. Aricini, Nomentanique, & Pedani eodem jure, quo Lanuvini in civitatem accepti.* Exinde mos cœptus apud Romanos, ut Conſul uterque, ſimul ac Magiſtratum iniiſſent, inter alia ſacrificia, etiam Junoni Soſpitæ apud La-

p *Liv. lib.* 8.

nuvium litaturi venirent. quod plane Cicero his verbis, de Lucio Murena loquens teſtatus eſt: *Date hoc ipſius pudori, date patri mortuo, date generi ac familiæ: date etiam Lanuvio municipio honeſtiſſimo, quod in hac tota cauſſa frequens mœſtumque vidiſtis. Nolite a ſacris patriis Junonis Soſpitæ, cui omnes Conſules facere neceſſe eſt, domeſticum & ſuum Conſulem potiſſimum avellere.* Quænam autem ea ſacra forent, quæ ab Romanis tunc Lanuvinis reddita ſunt, protinus exſequemur. Cum, itaque, ab Græcis Latini & numina & eorum cultum, partem maximam, fere accepiſſent; Græcorum inde mores in eorum ſacris plerumque ſunt imitati. Porro Juno a Græcis ita colebatur. In templo quod apud Elæos fuit, ſignum erat Junonis caſſide armatæ, haſtam quoque & ſcutum tenentis. Juno in Jovis ſolio ſedebat; & juxta ipſam Ceres ac Proſerpina. Apollo vero & Diana ſtabant adverſi. Quinto quoque anno ſolemne Junonis feſtum, ſive ſolemnes ludos in Junonis honorem celebrabant. Hi ludi *Junonia* ſunt appellati. In his curſus certamina virginibus proponebantur, in claſſes, pro cujuſque ætate, tributis. Nam primum certamen impuberes inter puellas inſtituebatur; tum, quæ pubertatem jam attigiſſent, ſubſequebantur; has grandiores excipiebant; noviſſimæ omnium, natu maximæ. Ornatus & cultus corporis idem omnibus. Capillus paſſus, tunicæ ad genua decenter demiſſæ, exſertus dexter humerus uſque ad pectus. In Olympicum ſtadium ipſæ quoque, virorum more, deſcendebant; decurtato tamen ſexta parte currendi ſpatio. Præmium victricibus, corona oleagina, & pars bovis qua Junoni litatum fuerat. Earum quæ in hoc ſtadio viciſſent, depictas imagines in deæ templo dedicare fas erat. Matronæ ſexdecim ludis præſides, totidem miniſtræ attri-

attributæ. Hinc lumen Plinio, qui in Lanuvinæ Junonis templo depictas antiquiſſime Atalantam virginem, & Helenam matronam refert. Lanuvini enim a Græcis, ut ajebam, deorum ſuorum cultum, magnam partem mutuati, ſimilibus forte puellarum certaminibus Junonis feſta atque ludos celebraverunt; & Atalantæ puellæ curſum, Helenæque, tamquam præſidentis matronæ, effigiem, pictura in templo repræſentari, curaverunt; ut ludorum a ſe commiſſorum antiquitatem celebrarent. Quamquam nudas eas imagines fuiſſe (quod ait Plinius) vel diverſum Lanuvinorum ab Græcis in curſu puellarum morem, (quippe ad genua uſque tunica amictæ apud Græcos currebant) vel certe pictoris, nuda membra ad oſtentandam artem exhibentis, licentiam nobis declarat. Ceterum, Græci ludicrum hoc ad res priſcas referebant *q*. Siquidem perhibebant, Hippodamiam de Pelopis nuptiis Junoni gratiam relaturam, curſus certamen primam omnium inſtituiſſe; ſexdecimque præſidum feminarum delectum habuiſſe. in quo certamine Chloris Amphionis filia ceterarum victrix notatur. Verum, periculoſior multo, & alius mos Junonem per virgines colendi apud Lanuvinos fuit. Hunc ſub initium hujus capitis ex Æliano recitavimus. Eratque hujuſmodi. Junonis Soſpitæ templo adjunctus erat lucus opacus ac vaſtus, in quo antrum draconis, qui pudicas ab iis quæ ſecus erant, puellas præſentire ac præſagire credebatur. quapropter, periculum faciendi gratia, utrum pudicæ necne forent, a parentibus, vel propinquis, aut certe ſponſis, quibus in matrimonio collocandæ erant, huc mittebantur. Nonnumquam etiam ſua ipſæ ſponte, ex curioſitate, periculum idem ſubibant. Si enim cibos draco de manu virginis accepiſſet, pudica; ſi vero reje-

q *Pauſan. Eliac. l. prior. p. mihi* 318.

rejeciſſet, pro corrupta habebatur. De his Propertius elegantiſſime: r

r Lib. 4. Eleg. 8.

Lanuvium annoſi vetus eſt tutela draconis,
Hic ubi Tartareæ non perit hora moræ.
Qua ſacer abripitur cæco deſcenſus hiatu,
Qua penetrat virgo, (tale iter omne cave)
Jejuni ſerpentis honos, cum pabula poſcit
Annua, & ex ima ſibila torquet humo.
Talia demiſſæ pallent ad ſacra puellæ
Cum tenera anguineo creditur ore manus.
Ille ſibi admotas a virgine corripit eſcas:
Virginis in palmis ipſa caniſtra tremunt.
Si fuerint caſtæ, redeunt in colla parentum,
Clamantque agricolæ: Fertilis annus erit.
Huc mea detonſis avecta eſt Cynthia mannis:
Cauſſa fuit Juno, ſed mage cauſſa Venus.
Appia, dic quæſo, quantum te teſte triumphum
Egerit, effuſis per tua ſaxa rotis.

Ex quibus ritum hunc, draconis Junoni ſacri paſcendi, annuum fuiſſe, colligimus; & ex virginis comperta pudicitia, fertilitatem anni ab agricolis prænuntiatam fuiſſe. Porro puellas, quæ integræ non forent, ab dracone devoratas, ex Sancto Proſpero Aquitano, cujus ad uſque ætatem prophanus hic ritus perduraverat, colligi videtur. Quamquam Ælianus memoriæ prodiderit, ex cibis a corrupta virgine illatis, & a dracone rejectis, per formicas ex antro in publicum reportatis, puellæ comperto crimine, eamdem a ſuis, jure legum, ſupplicio affectam. Porro Divi Proſperi locus ſ hic eſt: *Apud urbem Romam ſpecus quidam fuit, in quo draco miræ magnitudinis, mechanica arte formatus, gladium ore geſtans, oculis rutilantibus gemmis, metuendus ac terribilis apparebat. Huic annuæ devotæ virgines floribus exornatæ eo modo in ſacrificium da-*

ſ Lib. de promiſſ. & prædictionib. Dei p. 3. promiſſ. 38.

ban-

bantur; quatenus inſciæ munera deferentes, gradum ſcalæ, quo tota illa, diaboli arte, pendebat, contingentes, impetus venientis gladii perimeret, ut ſanguinem funderet innocentem. Et hunc quidam monachus, bene ob meritum cognitus Stiliconi tunc patricio, eo modo ſubvertit; baculo, manu ſingulos gradus palpando, inſpiciens; ſtatim ut, illum tangens, fraudem diabolicam reſpexit; eo tranſgreſſo deſcendens, draconem ſcidit, miſitque per partes; oſtendens & hic deos non eſſe, qui manu fiunt. Quod Proſper hic de Lanuvino dracone locutus fuerit, ut credam, pluribus vehementer adducor. Quod enim *apud urbem Romam* dixerit tantum, neque Lanuvium nominaverit; hoc nihil omnino impedit, quominus Lanuvinum tamen draconem intellexerit. Homini enim peregrino, & in Galliis degenti, quid mirum ſi nominatim locus ipſe in quo erat draco, foret ignotus? *Apud urbem Romam* vero, ea quæ in toto Latio, longius etiam quam Lanuvium, ſita eſſent, non improprie, externis præſertim ab hominibus, & peculiarium circa urbem locorum haud peritiſſimis, dici poſſunt. Ceterum, draconis antrum, virginum annua eidem oblata munera, earumdemque per draconem interitus, quæ narrat hic Divus Proſper, eadem omnino cum Lanuvini draconis annuis ſacrificiis fuiſſe videntur. Quod ſi ita eſt, ad Theodoſii ſenioris uſque tempora, tam prophanum, atque immanem morem, virgines draconi objectandi, perduraſſe, deprehendimus. Siquidem tunc demum detecta per virum illum ſolitarium fraude, ceſſavit, qui Stiliconi egregio Theodoſii duci cognitus, ejus proinde fuerat æqualis. Utrum tamen, priſcis temporibus, Propertii, puta, ætate, vel Æliani, draco Lanuvinus ſimulatus, ac fictus tantum eſſet per machinam, eo quo per Proſperum pacto deſcribitur, res mihi eſt incognitiſſima. Deplorat in ſuæ ætatis

dra-

dracone Prosper, quod eas virgines quæ annua illi munera deferebant, interimeret, & sanguinem funderet innocentem; at de Lanuvino dracone, quod vel corruptas devoraret aut occideret, scriptores minime prodiderunt. Quin potius Ælianus etiam impudicas deprehensas, vivas tamen rediisse, ut a Judicibus plecterentur, commemorat. Verum quidem est quod Propertius his verbis:

Si fuerint castæ, redeunt in colla parentum,

innuere videtur, quod nisi castæ fuissent, occidebantur, nec ad parentes amplius redibant: ceterum verba eadem blanditias quoque parentum pro filiæ explorata pudicitia, atque integritate, quibus deprehensæ carebant, designare tantummodo opportunissime possunt. Quare eo potius inclinor, ut asseram, priscis quidem temporibus, & ante Reparatoris Nostri Sanctissimi adventum, verum naturalemque draconem in antro Lanuvino delituisse, puellasque cibis oblatis incolumes, ut plurimum, remisisse; & suscipiendo, vel respuendo porrectam mazam, earumdem pudicitiæ judicem vel exstitisse, vel a superstitiosis illis veteribus habitum fuisse. Oraculorum more, quæ plurima sparsim per orbem vel dæmoniorum, vel vaferrimorum hominum ministerio & præstigiis edebantur. Post Christi vero Reparatoris adventum, cessantibus jam ubique oraculis, & Lanuvini draconis divinationem cessavisse crediderim; cui, ut suppetias qualescumque, deorum, ac præcipue Junonis, cultores sufficerent; fictum illum draconem, de quo Divus Prosper, excogitasse, qui ad quintum usque Christi sæculum perduraverit. Hæc ut asseram illud facit, quod in agro Lanuvino frequentes fuisse angues, e quorum specie dracones sunt, ex Tullii testimoniis satis constat. Siquidem Tullius multa de divinatione disputans: *Quid*, in-

inquit (*t*), *quid amores & deliciæ tuæ, Roſcius? num aut ipſe, aut pro eo Lanuvium totum mentiebatur? qui cum eſſet in cunabulis, educareturque in Solonio, qui eſt campus agri Lanuvini; noctu lumine appoſito, experrecta nutrix animadvertit puerum dormientem circumplicatum ſerpentis amplexu. quo aſpectu exterrita, clamorem ſuſtulit. Pater autem Roſcii ad haruſpices retulit. qui reſponderunt, nihil illo puero clarius, nihil nobilius fore.* Et libro ſecundo, *De ipſo Roſcio*, inquit, *poteſt illud quidem eſſe falſum, ut circumligatus fuerit anguis. ſed ut in cunis fuerit anguis, non eſt tam mirum: in Solonio præſertim, ubi apud focum angues nidulari ſolent.* Quam anguium multitudinem inde apud Lanuvinos percrebuiſse exiſtimo, quod eorum ager in planitie ad mare magnam partem extenſus paludibus ac ſtagnis interciperetur, unde enati ſerpentes; nec a Lanuvinis, Junonis religione, ob illi ſacrum draconem, interfecti, aut prohibiti, in tantam multitudinem excreviſſent, ut domeſtici fierent, ac juxta focum impune ac pacifice, immo & honorifice, nidularentur. Præſtigiæ quoque hanc Lanuvinorum circa ſerpentes religionem aliquando auxerunt. Prodigium namque ingens iidem Romam nuntiarunt, teſte Livio, quod jubatus anguis intra oppidum miraculo apparuiſſet. Livii *u* verba V. C. A. DLXXIV. *Lanuvini Cæriteſque, anguem in oppido ſuo jubatum aureis maculis ſparſum apparuiſſe, affirmabant.* Quamquam autem quo potiſſimum menſe annua hæc munera Lanuvino Junonis draconi per virgines redderentur, ludique *Junonia* dicti committerentur, incertum ſit; hæc tamen omnia ineunte Junio, immo Kalendis ipſis Juniis Lanuvii facta fuiſſe inde prudentem licet facere conjecturam, quod Junius menſis Junoni ab Lanuvinis antiquiſſime fuerat conſecratus, utpote Juventutis deæ, & Hebes, quæ eadem ac *Juventus*, Matri. Quem pariter menſem La-

t *Lib.* 1. *de Divinat.*

u *Liv. lib.* 41.

nuvini, more cum aliis Latinis populis communi, *Junonium* appellavere. Teſtis Ovidius, qui Junonem ſe ita alloquentem inducit: *x*

x *Faſt. lib.6. ſub init.*

Ne tamen ignores, vulgique errore traharis,
Junius a noſtro nomine nomen habet.

Et poſt aliquot verſus, ex ipſius Junonis perſona:

Dicta fides ſequitur: centum celebramur in aris.
Nec levior quovis eſt mihi menſis honos.
Nec tamen hunc nobis tantummodo præſtat honorem
Roma: ſuburbani dant mihi munus idem.
Inſpice quos habeat Nemoralis Aricia faſtos,
Et populus Laurens, Lanuviumque meum:
Eſt illic menſis Junonius; aſpice Tibur,
Et Prænestinæ mœnia ſacra deæ;
Junonale leges tempus; nec Romulus illas
Condidit: at noſtri Roma nepotis erat.
Finierat Juno. &c.

Ubi notandum, veram atque legitimam lectionem hanc eſſe *Lanuviumque meum*; non, ut perperam exemplaria quædam corrupta exhibent, *Laviniumque meum*. tum quia *Lanuvium*, non *Lavinium*, ex his quæ hucuſque protulimus, peculiariter *ſuum* a Junone dici meruit; nam draco in antro & luco Junonis Soſpitæ Tutela erat *Lanuvii*, non *Lavinii*,

Lanuvium annoſi vetus eſt Tutela draconis.

tum quia ſatis hic diſtinguit Juno Laurentem populum, (qui idem ac *Lauro-Lavinas* ac *Lavinas*) a populo *Lanuvino*; idemque inutiliter repetiiſſet, ſi dixiſſet:

Et populus Laurens, Laviniumque meum.

tum denique, quia lex carminis repugnat, & omnino vocem *Lavinium*, quæ ſecundam habet ſyllabam longam, juxta illud: *Lavinaque venit Littora*, rejicit atque excludit. Quæ omnia ſemper præ oculis habere

opor-

oportet, ad confuſionem erroremque tollendum, plurimaque detegenda atque emendanda, quæ circa hæc oppida, *Lanuvium*, atque *Lavinium*, ex nominis ſimilitudine in antiquis Scriptorum libris menda irrepſere. Illud quoque, ut Kalendis Juniis hæc in Junonis honorem Lanuvii facta fuiſſe credamus, accedit; quod ea tempeſtate meſſis jam matureſcens inſtaret; & Lanuvini ab dracone, dum cibos de manu virginum reciperet, nec ne, futuræ fertilitatis, an ſcilicet fertilis futura eſſet meſſis, augurium captabant. Si enim cibos recepiſſet ab incorrupta puella, clamabant continuo Agricolæ, Propertio teſte: *Fertilis annus erit*. Non ignoramus Januarium menſem Tutelam Junonis apud veteres fuiſſe, quod vetuſta apud Gruterum Kalendaria teſtantur. At hoc non officit, quin Junius menſis a Latinis, ac Lanuvinis nominatim, Junoni ſuæ fuerit conſecratus, ut, ex recitatis Ovidii teſtimoniis, apertiſſime liquet. Itaque Juno & Junio menſi nomen dedit, & Junonale tempus menſis idem fuit appellatus; & nihilominus Tutela fuit eadem Juno Januarii menſis, ut in antiquis Kalendariis inciſum legimus. In quibus menſes ſinguli ſub tutela alicujus ex diis fuiſſe inſcribuntur hoc ordine: *y* Januarii Juno, Februarii Neptunus, Martii Minerva, Aprilis Venus, Maji Apollo, Junii Mercurius, Julii Juppiter, Auguſti Ceres, Septembris Volcanus, Octobris Mars, Novembris Diana, Decembris Veſta. Ceterum ita intelligendus eſt Propertius, cum dicit: *Lanuvium annoſi vetus eſt Tutela draconis*, ut draco in tutela & clientela habuerit Lanuvinam urbem & gentem; non vero quod Lanuvini curam & cuſtodiam draconis habuerint. Eſt enim ſententia: *Annoſus draco eſt tutela Lanuvii*; ſcilicet, *tutator*, *defenſor*, *patronus*, *numen tutelare oppidi & populi Lanuvini*; ut in antiquo

y Grut. pag. 138. & 139.

tiquo libero carmine, quod ad Virgilii operum calcem plerumque legitur, habetur.

Eſt tutela Rhodos beata Solis,
Gades Herculis, humidumque Tibur.

Draconem quoque veluti inſigne civitatis proprium Lanuvinos adhibuiſse, veriſimile eſt. Certe familiæ nonnullæ Lanuvinæ, Romam licet translatæ, ibique illuſtres effectæ, draconem, cui virgo cibum præbet, in nummis gentis ſuæ paſſim inſculpi curarunt; ut infra, cum de Lanuvinis illuſtribus ſermo erit, fuſius exponam. Harum aliquibus ſacra Junonis ad procurandum præcipue deſtinata fuerunt; ut Romæ, Herculis Aventini ſacra, ad aram maximam, ſub ipſo Aventino monte, Potitis & Pinariis familiis peculiariter, ab ipſa Evandri ætate, tradita fuerant. Quare gens Metia, Cornuficia, Papia, Procilia, & Roſcia, aliæque ex Lanuvino municipio Romam tranſactæ, in ſuis quæque nummis Junonis Lanuvinæ ſignum cum caprinis cornibus percuſſerunt z. Et in ſupra a nobis allata inſcriptione Marcus Amius Marci filius Palatina Balbus, ſacerdos Junonis Reginæ Siſpitæ Lanumvianæ nominatur. Jam vero licet Lanuvinum Junonis Soſpitæ templum commune Lanuvinis cum populo Romano, ab ipſis pæne Urbis incunabulis, ut memoravimus, foret; attamen Romæ quoque duplex Junoni Soſpitæ templum fuit excitatum. Alterum quidem in foro Olitorio, regione undecima *a*, quod ſub initium belli Inſubrici Cneus Cornelius voverat; alterum vero, in Palatio, regione decima, Cybeles templo proximum, Auguſti ætate jam dirutum, de quo Ovidius: *b*

z *ap. Urſin. & Spanhem. de præſtant. & uſu numiſm. diſſert. 5. p. mihi 354. & apud Jo. Vaillant. in Num. Famil. Rom.*

a *Sex. Aur. Vict. de Reg. Urb. Romæ.*

b *Faſt. lib. 2. v. 48. & ſeqq.*

Principio menſis, Phrygiæ contermina matri,
Soſpita delubris dicitur aucta novis.
Nunc, ubi ſint, illis, quæris, ſacrata Kalendis
Templa deæ? longo procubuere die.

In templo vero Junonis Sospitæ Lanuvii plurima identidem prodigia, vel quæ certe prodigii loco haberentur, accidisse antiquitus memorantur. Siquidem inter continuos Belli Punici secundi terrores, Annibale Italiam ferme universam impune vastante, *Signa Lanuvii* (inquit Livius libro XXXIII.) *cruore manavere. Lapidibusque circa id templum pluit. ob quem imbrem Novemdiale, ut assolet, sacrum fuit; ceteraque prodigia cum cura expiata.* Ridiculum inprimis illud, quod refert Cicero *c* sic: *Sisenna ..... disputat exponitque initio belli Marsici, & deorum simulacra sudavisse, & sanguinem fluxisse; & discessisse cælum, & ex occulto auditas esse voces, quæ pericula belli nuntiarent; & Lanuvii clypeos (quod haruspicibus tristissimum visum est) a muribus esse derosos.* Curiosi enim vero ac prætrepidi haruspices, qui rem adeo obviam atque ridiculam in tristissimum omen revocaverunt. Ceterum, eo prodigio Romani adeo vehementer sunt commoti, ut non modo sacrificiis idem procuraverint, verum & puellæ Cæciliæ somnio fidem habentes, Junoni Sospitæ de Senatus Consulto templum jam pæne collapsum Lanuvii restituerint. Ast illud terribilius multo, quod Livius narrat *d*: *Lanuvii hastam se commovisse nuntiatum est; & corvum in ædem Junonis devolasse, atque in ipso pulvinario consedisse; strepitumque cum horrendo fragore editum.* hastam scilicet, quam Junonis simulacrum gestabat; pulvinarium vero sive pulvinar, in quo corvus iste consedit, lectulus erat molli tomento fartus, in quo Junonis signum erat impositum, ut reliqua passim deorum pulvinaria fuere. quibus & supplicabant, & dapes, tamquam diis epulaturis, apponebant. quod proprie *Lectisternium* dicebatur. De illis Horatius, elegantissime de more: *e*

c de Divin. lib. 1.

d Liv. l. 21. & 29.

e Od. 37. l. 1.

Nunc est bibendum, nunc pede libero

Pul-

Pulſanda tellus; *nunc Saliaribus*
Ornare pulvinar deorum
Tempus erat dapibus, ſodales.

Ob illa itaque prodigia, placata continuo ab Romanis numina, & donum ex auro, pondo XL. librarum Lanuvium Junoni portatum eſt. & ſignum æneum matronæ *f* in Aventino Junoni dedicaverunt. Ob ſimilia quoque portenta decretum aliquando, ut Lanuvii majoribus hoſtiis ſacrificaretur. Majores autem hoſtiæ taurus & vacca; minores, ovis, capra, & ſus antiquitus cenſebantur. majores quoque dictæ ſunt hoſtiæ quæ aliquot jam menſes vel annos natæ immolabantur, ut a lactentibus, quarum etiam apud veteres frequens uſus in ſacrificiis, diſcriminarentur. Rurſum ſigna Lanuvii ad Junonis Soſpitæ cruore manavere *g*: lapidibuſque circa templum pluit. Nuntiatum quoque haud ita multo poſt, Lanuvii in æde intus Soſpitæ Junonis corvos nidum feciſſe. Quibus ex Livii verbis ajentis : *in æde intus*, Junonis templum pluribus cellulis atque ſacellis interioribus diſtinctum fuiſſe, colligimus. Lacrimaſſe pariter ſimulacrum Junonis aliquando, ferunt. Quæ omnia prodigii loco ſemper habita a ſuperſtitioſis prophanis hominibus, in maximam apud Latinos omnes, Junonis Lanuvinæ ſimulacrum, templum, ac nomen, venerationem & religionem adduxerunt; ac ſtabiliter in iiſdem conſtituerunt. Quo autem ritu potiſſimum hæc prodigia procurari conſueviſſent, Livius idem fuſius exponit, cum de placato Junonis Aventinæ Reginæ numine Romæ, ob ſimilia, quæ nuntiata fuerant, portenta, mentionem facit. Quæ ab Lanuvinis quoque nullo, vel ſaltem exiguo diſcrimine adhiberi ſolita, credimus; cum Lanuvinæ Junonis templum & ſacra communia cum populo Romano facta, primis ab uſque Ro-

f *Liv. l.* 22.

g *Id. l.* 23.

Romanæ Reipublicæ temporibus, eodem ex Livio nuper didicerimus. Itaque inter Belli Punici ſecundi ferventiſſimos motus, cum multa *h* multis ex locis nuntiata fuiſſent prodigia: *Decrevere pontifices*, inquit Livius, *ut virgines ter novenæ per urbem euntes carmen canerent. Id cum in Jovis Statoris æde diſcerent conditum ab Livio poeta carmen; tacta de cælo ædes in Aventino Junonis Reginæ: prodigiumque id ad matronas pertinere haruſpices cum reſpondiſſent, donoque divam placandam eſſe; ædilium curulium edicto in Capitolium convocatæ, quibus in urbe Roma, intraque decimum lapidem ab Urbe domicilia eſſent. ipſæ inter ſe quinque & viginti delegerunt, ad quas ex dotibus ſtipem conferrent. inde donum pelvis aurea facta, lataque in Aventinum; pureque & caſte a matronis ſacrificatum. Confeſtim ad aliud ſacrificium eidem divæ ab decemviris edicta dies, cujus ordo talis fuit: Ab æde Apollinis boves feminæ albæ duæ porta Carmentali in urbem ductæ. poſt eas duo ſigna cupreſſea Junonis Reginæ portabantur. tum ſeptem & viginti virgines longam indutæ veſtem carmen in Junonem Reginam canentes ibant; illa tempeſtate forſitan laudabile rudibus ingeniis, nunc abhorrens & inconditum, ſi referatur. Virginum ordinem ſequebantur decemviri coronati laurea, prætextatique. A porta, Jugario vico, in forum venere. In foro pompa conſtitit: & per manus reſte data, virgines ſonum vocis pulſu pedum modulantes inceſſerunt. Inde, vico Tuſco Velabroque, per Boarium forum, in clivum Publicium atque ædem Junonis Reginæ perrectum. Ibi duæ hoſtiæ ab decemviris immolatæ, & ſimulacra cupreſſea in ædem illata.* Similiter V. C. A. DL. Lanuvii in templo Soſpitæ Junonis nocte ſtrepitum ingentem exortum meminit Livius libro trigeſimo primo, ob quod prodigium Pontifices carmen ab ter novenis virginibus cani per urbem juſſerunt, donumque Junoni Reginæ ferri. Ea uti fierent C. Aurelius Cos. ex de-

h *Lib.* 27.

cem-

cemvirorum reſponſo curavit. Carmen ſicut patrum memoria Livius, ita tum condidit P. Licinius Tegula. Quod autem V. C. DLVII. Lanuvii claſſis magnæ ſpecies in cælo viſæ dicebantur, aliaque aliis de locis prodigia Romam perlata fuerant, ſupplicatione, & ſacrificiis Feriarum, juſſu decemvirûm ſacris faciundis præſidum, malum omen quodlibet ſublatum eſt *i*. Ceterum Lanuvino Junonis templo lucus magnus & opacus jungebatur pariter Junoni ſacer, in quo antrum ſtabulantis draconis, qui Junonii numinis cuſtos habebatur, fuiſſe, diximus. Hujuſmodi luci diis ſacri fere incædui omnino erant, quod nefas veluti duceretur lignorum ex illis aliquid imminuere. Creſcebant proinde ibidem arbores in immenſam, ita dixerim, altitudinem & latitudinem, ac vetuſtiſſimam ſenectutem; unde miræ magnitudinis arbores talibus in lucis Plinio aliiſque ſcriptoribus memorantur. Quod vero glandiferæ magnam partem has ſilvas componerent arbores, & campos ad paſcua ſæpirent; hinc greges armentaque, de quibus hoſtiæ ad immolandum numini eligerentur, ſub ipſis impune paſcebantur; ſummaque illis nocere, apud univerſos religio fuit. In luco, itaque, Junoni Lanuvinæ ſacro uſitatum id crediderim; quemadmoduum de luco Junonis Laciniæ Livius in hæc verba *k* memoriæ prodidit, factitatum fuiſſe: *Urbs Croto murum in circuitu patentem* XII. *millia paſſuum habuit ante Pyrrhi in Italiam adventum. poſt vaſtitatem eo bello factam vix pars dimidia habitabatur. Flumen, quod medio oppido fluxerat, extra frequentia tectis loca præterfluebat muros, procul iis quæ inhabitabantur. Sex millia aberat ab urbe nobile templum ipſa urbe nobilius Laciniæ Junonis ſanctum omnibus circa populis. Lucus ibi frequenti ſilva & proceris abjetis arboribus ſæptus; læta in medio paſcua habuit, ubi*

omnis

i *Liv. lib.* 42.

k *Lib.* 24.

omnis generis ſacrum deæ paſcebatur pecus, ſine ullo paſtore: ſeparatimque egreſſi cujuſque generis greges nocte remeabant ad ſtabula, numquam inſidiis ferarum, non fraude violati hominum. magni igitur fructus ex eo pecore capti; columnaque inde aurea ſolida facta & ſacrata eſt: inclytumque templum divitiis etiam, non tantum ſanctitate fuit. Ac miracula aliqua affinguntur plerumque tam inſignibus locis. Fama eſt, aram eſſe in veſtibulo templi, cujus cinerem nullus umquam moveat ventus. Quod vero & Lanuvino in templo multa accidiſſe prodigia jactarentur, hactenus commemoravimus ex eodem Livio; & illud ex Julio Obſequente nunc addimus, quod *Junonis Soſpitæ templa fœdata fuerint matronarum ſordidis obſcœniſque corporis miniſteriis; cum etiam ſub ſimulacro deæ cubile canis conſtituiſſet, mundata ſupplicationibus habitis.* Ubi, cum multitudinis numero *templa Junonis Soſpitæ* dixerit Obſequens; incertum fit, de quo potiſſimum locutus fuerit. cum, præter Lanuvinæ Junonis Soſpitæ templum, bina etiam ejuſdem Soſpitæ templa fuiſſe Romæ, noverimus. De luco autem Junonis Nucerinæ illud Plinius prodigii & auſpicii loco habitum refert *l*, quod ſacra divæ arbor jam arefacta, & exciſa, ſponte miraculo revixerit, ac floruerit; ait enim: *Eſt in exemplis, & ſine tempeſtate, ullave cauſſa alia quam prodigii, cecidiſſe multas* (arbores) *ac ſua ſponte reſurrexiſſe. Factum hoc populo Romano Quiritibus oſtentum, Cimbricis bellis, Nuceriæ, in luco Junonis; ulmo, poſtquam etiam cacumen amputatum erat, quoniam in aram ipſam procumbebat, reſtituta ſponte, ita ut protinus floreret: a quo deinde tempore majeſtas populi Romani reſurrexit, quæ antea vaſtata cladibus fuerat.* Jam vero opportunus hic locus antiquiſſimos inſcriptos lapides Lanuvii effoſſos, in quibus de Junone aliqua fit mentio, probatiſſimis ex auctoribus in medium proponere. Et primo qui-

l *Lib.* 16. *c.* 32.

dem proſtat Romæ in Capitolio marmorea ſtatua, in cujus baſi grandioribus literis inciſus legitur titulus: IVNO LANVMVINA. Lanuvii autem *m*, Xanthiano rure, unde ſtatuarum ac veterum ornamentorum, dedicationumque diis factarum eruta vis ingens, Ligoriana ætate, fuit; hic, inter ceteros, Junoni ſacer inſcriptus lapis detectus eſt:

m *Ligor. v.* Xanthiano.

IVNONI REGINAE
SOSPITAE SACRVM
M. AVRELIVS COMMODI=
ANVS LIBERTVS
XANTHVS
D. D.

In quo explicando nil immoror; cum omnia ſint obvia, & per ſe pateant. In Thoriæ pariter gentis Lanuvinæ monumentis, juxta Appiam viam, prope Lanuvium reperta inſcriptio: *n*

n *Ligor. v.* Thoria.

MEMORIAE AETERNAE
M. THORJ PRIMIGENJ SACERDOTIS
IVNONIS REGINAE SISPITAE ET
THORIAE BALBILLAE FILIIS PIISSIMIS FECIT
SEX. THORIVS C. F. BALBVS. IN FRONTE
PED. XIV. IN AGR. PED. XVII.

Altera apud Fabrettum; in qua, ex ejus interpretatione, Lanuvina Juno *Maxima* appellatur. Siquidem refert hic auctor Lanuvii lapidem effoſſum huiuſcemodi notis inſcriptum: *o*

o *Fol.* 678. *c.* 10.

S · I · M ·
PRO. SALVTE
IMPERATORIS. CAESARIS
M. AVRELI. COMMODI
ANTONINI. AVG
FELICIS
Q. IVLIVS. SEVERVS. F. P.

La-

Lanuvinam vero Junonem una cum conjuge ac fratre Jove in eodem templo cultam, præter cetera, & alia confirmat inſcriptio, Lanuvii effoſſa: *p*

p *Fabrett. fol. 754. c. 10.*

IOVI. OPTIMO. MAXIMO ET
IVNONI. REGINAE
SACRVM
M. CORNELIVS. M. F. M. N.
LENTVLVS PRAEFECT.
FABR. OSTIEN.
IIIIVIR. QVINQ.
SVA. PECVN.
V. S.

Quam inoffenſo pede ſic leges: *Jovi optimo maximo & Junoni Reginæ ſacrum. Marcus Cornelius Marci filius Marci nepos Lentulus Præfectus fabrûm Oſtienſium Quatuorvir Quinquennalis ſua pecunia votum ſolvit.* Porro Quatuorviri Quinquennales Magiſtratus fuit virorum quatuor qui per quinquennium eumdem obtinebant; ac quinto quoque anno, votis perſolutis, ſive ludis exhibitis, locum ſucceſſoribus dabant. Hinc ſæpe etiam *vota Quinquennalia*, & *vota Decennalia* legimus in antiquis monumentis. Et in fornice triumphali Conſtantiniano Romæ, ad radices Cœlii montis, juxta Amphitheatrum Titi & Veſpaſiani *vota Vicennalia* inſcripta leguntur. Itaque hic lapis innuere videtur, Lanuvii in honorem Jovis & Junonis quinto quoque anno ludos ex voto ſuſcepto commiſſos fuiſſe; ac Cornelium iſtum Lentulum ex quatuor virorum Quinquennalium magiſtratu unum pecunia ſua liberaliter id voti ſolviſſe. Aliud quoque ludicri genus (ſive ludos ſive ſacrificium vocare mavis; utriuſque enim ſpeciem exhibebat,) in Lanuvinæ Junonis ho-

norem exhibitum memorat Ligorius, quod & Lanuvii detecta inſcriptio innuit his notis: *q*

q *Ligor. v.* Paprimia.

T. AELIVS Q. F. VIBIANVS
QVAEST. ET PRAEFECT. ANNONAE
PAPRIM. IVNONI FECIT ET
V. S. L. M.

Scilicet *Paprimia Junoni fecit & votum ſolvit libens merito*. Erant autem *Paprimia*, ſi Ligorio credimus, Ludi, qui in Junonis honorem habebantur hoc ritu. In templo Junonis Lanuvinæ, matronæ ſacrificare ſolebant Marti, certo die, quo celebrabant *Paprimia*. Quo die ſacerdotes ad templi januam cum baculis ſtabant, exſpectantes ut pluſquam mille homines introirent. Hi vota ſolvere omnes quærebant, baculoſque pariter ſinguli gerebant præ manibus. munera quoque Junoni ad ſacrificium afferebant, & deæ ligneum ſimulacrum inauratum, ſuper quadrigis impoſitum, eorumdem ſupplicantium miniſterio trahebatur. Jam vero ſacerdotes, qui ad januam ſtabant, introeuntium impetum rejicere, illoſque ab ingreſſu prohibere ſe velle, ſimulabant. Hi contra, prohibentes propellere, & intrare conabantur. Atque hæc omnia in memoriam facti cujuſdam fiebant, quo veteres Junonem templum quoddam intraturam ab gentibus nonnullis Paprimiis appellatis aggreſſam, & in adulterii periculum coram Marte filio adductam fuiſſe, narrabant; niſi filii ejuſdem ac ſtipatorum ſuorum auxilio eam fœdiſſimam omnium injuriam propulſaſſet. Quare matronæ Marti, tamquam matronalis pudicitiæ vindicatori, ſacrificabant. Et ludicrum illud ſpectaculum *Paprimia* vocitatum eſt. De quo, cum apud unum unicum Ligorium, probatiſſimum

illum

illum quidem Antiquarium in Lapidibus eruendis, ac recenſendis, non æque tamen probatiſſimum hiſtoricum, ea quæ hactenus retuli, repererim; quid certi conſtituam, omnino non invenio. Ceterum, ſacra omnia Lanuvinæ Junonis per Collegium virorum procurata fuiſſe, ſive per Sodalitium, unde Curatores *Sodales Sacrorum Lanuvinorum* dicti ſunt, teſtatur inſcriptio Lanuvina apud eumdem Ligorium ſic: *r*

r *Ligor. lib. Antiq.* 51. *de Flamine Diali.*

P. SEXTILIO P. F. TAB.
AVRELIANO EQ. SIN.
HONORES OMNES
ADEPTO TERENTIN. NOVA
FLAMINI ROM. ET AVG.
MAGIST. QVINQ. AVGVRI
PRAEFECTO ANNON. LEG. III.
ITALIC. SODALI SACROR
LANVVINOR. IVDICI
SELECTO DECVR. MINTVRN.
DECVRIONI AVXIMATAE
CVRATORI REIP. PISAVR.
SODAL. AVGVST. PRAEF. FABR.
PATRONO ET COLON.
PVBLICE.

Quæ ut paullulum in explicando ſubſiſtamus meritiſſime poſcit. In primis itaque illam ſic leges: *Publio Sextilio Publii filio, Tabulario Aureliano, Equiti ſingulari, Honores omnes adepto Terentina Tribu nova, Flamini Romano & Auguſtali, Magiſtro Quinquennali, Auguri, Præfecto Annonæ Legionis tertiæ Italicæ, Sodali Sacrorum Lanuvinorum, Judici ſelecto Decuriæ Minturnenſium, Decurioni Decuriæ Auximatæ, Curatori Reipublicæ Piſaurenſis, Sodali Auguſtali, Præfecto fabrûm, patrono & colono publice ſtatua conſtituta*

tuta eſt. Exhibetur autem Publius Sextilius ex Sextilia utique Romana gente prænobili, qui Tabularius Aurelianus, ſcilicet a rationibus Aurelii inſcribitur. Erant enim Tabularii, quibus Tabularum, (hoc eſt monumentorum ac librorum, qui primum e tabulis cera oblitis conſtabant,) cuſtodes, & *a rationibus* Principis ſive *computatores* & *calculatores*, non ii quidem gregarii, ſed minorum calculatorum præſides, qualem, procul dubio, fuiſse hunc P. Sextilium ceteri tanto numero ac pondere ſubſequentes tituli nos dubitare non ſinunt. Dicitur autem Tabularius Aurelianus, quod Marci Aurelii Antonini Philoſophi, vel Marci Aurelii Commodi Lanuvii orti Romanorum Imperatoris *a rationibus* & *a Tabulario* erat. Tabularium enim locus fuit ubi Tabulæ ſive manuſcripti codices aſſervabantur. Tabularius vero eorumdem cuſtos ac præſes. Porro, Sextilius equitis ſingularis titulo eſt inſignitus, quod ipſe inter equites propriis ſuis meritis ſingulariter fuiſſet adlectus. Additur, honores omnes ipſum aſsecutum fuiſſe, quod de equeſtribus honoribus plane eſt intelligendum. Erant autem equitum Romanorum honores, primo quidem ex plebeja conditione eximi, & ad nobilium ordinem traduci; cum equeſter ordo plebejum inter atque patricium medius exſiſteret; aureis annulis uti & phaleris; in pluribus ad Reipublicæ conſultationes adhiberi; Magiſtratus quoſdam etiam honeſtiſſimos gerere; ſeparato a ceteris, qui ex equeſtri ordine non eſſent, loco, ad ſpectacula in theatris atque amphitheatris ſedere; hiſque ſimilia privilegia uſurpare. Jam vero Sextilius noſter ex Terentina Tribu fuiſſe adſcribitur, quæ ex Romanorum Tribubus una fuit; & a loco prope Campum Martium Romæ, *Terentum* appellato, Terentina Tribus nominata. Terentus vero locus fuit,

fuit, ubi templum Conſi & Plutonis deorum inferorum; & ara ipſis dicata ſub terra, quæ ludis tantum ſæcularibus, humo egeſta, oſtendebatur, illiſque peractis iterum claudebatur. Hoc loco, omnium, quotquot naſcerentur ac morerentur, nomina, quoties luſtrabatur civitas, deſcribi ſolita, memorant; Terentumque a *terendo* dictum, quod equis quadrigariis quoties ſæculares ludi fiebant, tereretur. quæ vocis origo, quam vere atque apte deducatur, non pugno. Hoc tantum pro certo habemus, Terentinam Tribum ab hoc loco Terento denominatam. Fuiſſe hanc tamen in Sabinis, tradunt; quamvis a loco intra Urbem ſito appellationem deſumſerit: fortaſſe idcirco, quod ibidem ad ferenda comitiorum tempore ſuffragia congregaretur. Sacris deinde profaniſque dignitatibus inſignitum Sextilium exhibet lapis; & Flaminem illum fuiſſe Romanum atque Auguſtalem, commemorat. Fuit *Flamen* nomen atque officium ſacerdotis apud Romanos, cujus originem alii aliunde deduxere. Initio pauci admodum fuerunt Flamines, qui poſtea diis ſingulis ſinguli ſunt attributi; eiſque deorum ſuorum, quorum ſacra curabant, nomina impoſita. Hinc *Flamen Dialis*, *Martialis*, *Quirinalis*, aliique. Sextilius noſter, *Romanus Flamen*, ſive *Romuleus*, ſive *Romuli*, in lapide memoratur. vel potius & verius *Romæ Flamen*. Siquidem urbs ipſa Roma, tamquam dea, templo, ſacrificiis, & ſacerdotibus, ævo Cæſarum culta eſt. & Flamen *Romæ* deæ in pluribus inſcriptionibus legitur, apud Gruterum *ſ*. Conſonat illud Martialis: *t*

Terrarum dea, gentiumque Roma,
Cui par eſt nihil, & nihil ſecundum.

Mox *Auguſtalis* quoque Flamen adjungitur. Poſtquam enim Romanos Imperatores e vivis ſublatos perditiſſima

ſ pag. 320.

t *Ep.* 8. *lib.* 12.

ſima populorum adulatio, ſucceſſoribus, demortui plerumque cognatis, adblandita, inter deos collocare confidentiſſime eſt auſa; in tantum proceſſit, ut & templa, & aras, & ſacerdotes, & ſacerdotum Collegia Imperatoribus iiſdem decerneret, & conſtitueret. Quare Imperatorum mortuorum umbræ ac manes, deorum inſtar, colebantur; Flaminemque ſibi peculiarem, (quem ab Auguſto *Auguſtalem* dixere) habuerunt. Hujuſmodi fuiſſe Sextilium noſtrum lapis quem explicamus, teſtatur. Porro Flamen Romæ deæ, ac Divi Auguſti hic, & pluribus aliis in inſcriptionibus, unus atque idem dicitur; quia templa Romæ & Auguſto ſimul dedicata fuerant. quod de Pergamenorum templo Tacitus tradit diſertis verbis *u*: *Cum Divus Auguſtus, ſibi atque urbi Romæ templum apud Pergamum ſiſti, non prohibuiſſet.* *Magiſter* etiam *Quinquennalis* dicitur Sextilius; fuitque idem ac *Quatuorvir Quinquennalis*; de quo Magiſtratu nuper, in antecedenti proponenda inſcriptione, locuti ſumus. Siquidem viri, qui Quinquennalium horum Collegium componebant, etiam *Magiſtri* ſunt vocitati; quæ vox *Præſidem*, *Curatorem*, *Doctorem* ſonat. quemadmodum & Romæ illi, qui vicis curandis, tuendis, ab incendio, latronibus, ſeditionibus, homicidiis, tumultibus, ceteriſque hujuſmodi incurſibus, ſiniſtriſque eventibus defendendis, præerant, *Magiſtri vicorum* ſunt appellati. Itaque Magiſtri Quinquennalis erat ludos ſingulis Quinquenniis in honorem Junonis Soſpitæ Lanuvii celebrare, ac ut rite fierent, curare. Sed & Augur erat Sextilius; qui Magiſtratus, ſive quod Sacerdotium multo erat apud Romanos honeſtiſſimum. Cum enim ſine augurio, (quod *inauſpicato* dicebatur) vel minimum quid ſuſcipere, temerarium maxime ac pernicioſum Reipublicæ cenſeretur; hinc ad Augurum arbitrium

u *Annal. l.* 4. *c.* 37.

uni-

universa pæne Reſpublica volvebatur. Quidquid enim libuiſſet Auguribus impedire ne fieret; id certiſſime, nullo negotio, ſolo deorum metu, & ominum, infeliciumque auſpiciorum obtentu injecto, fere ſemper aſſequebantur. Sequitur in lapide, *Præfectus Annonæ Legionis Tertiæ Italicæ*. quod munus plane quale fuerit conſtat, cum ad tale munus gerentem, ut ſua legio annona abundaret, ſpectaſſe ſignificetur. Legio autem Tertia dicta eſt Italica ſimul cum Secunda, quas M. Antonius *x* in Norico & in Rhætia inſtituit, & Italicas appellavit, Dione teſte. Quemadmodum, Romana adhuc florente Republica, legio alia dicta eſt *Italica* ſine addito, ex Panvinii teſtimonio, in eruditis de Romano Imperio Commentariis; ab urbe cognomine *Italica* in Hiſpania, a P. Scipione in Bætica Provincia, atque adeo ad ipſum Bætim fluvium condita, prope Hiſpalim, quæ hodie *Sevilla la veja* incolis dicitur; vel juxta alios, *Alcalà del Rio*. Fuit autem hæc urbs Italica poetæ Silii, exinde Italici nominati, patria; quemadmodum & trium Romanorum Imperatorum; ſcilicet Trajani, Hadriani, & ſenioris Theodoſii. *Italica* ab Conditore Scipione appellata, quod ex veteranis Italis militibus, in ea condenda, ibidem Colonia fuit conſtituta. Quod autem in legione, *Præfectus Annonæ*, munus fuerit honeſtiſſimum; ex ipſo militum ingenti numero, quos legio complectebatur, ſatis colligitur. Legio enim e civibus Romanis militibus conſtabat, & a *legendo* ſive *delectu* nomen eſt mutuata. dividebatur hæc in peditum cohortes decem; cohors quælibet in manipulos quinquaginta; & manipulus quiſque viginti quinque milites numerabat. His equites in tres centurias diviſi adjuncti. Unde duodecies mille octingentis hominibus Præfectus annonæ in legione opſo-

x *Lib.* 55.

nia victumque omnem procurare debebat. Probe novi, tamen, Legionum & numerum, & ſtatum, & conditionem non eadem ſemper fuiſſe; immo, pro diverſis ætatibus, ſingula hæc in iiſdem fuiſſe diverſiſſima. De quibus, qui rem militarem Romanam explicaverunt, quamplurima diſſeruere. Ecce autem P. Sextilium *Sodalem Sacrorum Lanuvinorum* appellari; qui titulus in hac inſcriptione nobis quidem princeps eſt, ac primarius: quandoquidem ob illum potiſſimum, inſcriptionem totam hoc loco deſumſimus interpretandam. Itaque Collegium fuit Lanuvii, ſive a Sodalibus *Sodalitium* velis illud vocare, quod viri honeſtiſſimi tum Romani tum Lanuvini conflabant; quodque ſacris rite procurandis & faciundis præpoſitum fuerat. Quamquam autem Lanuvii, præter Junonis Soſpitæ templum, & alia eſſent diis aliis dedicata, in quibus & ſacra fiebant, & procurabantur; Jovis, puta, Martis, atque alia; nihilominus *Sacrorum Lanuvinorum* nomine, Junonis Soſpitæ ſacra venire, propter excellentiam, ac numinis & loci celebritatem, non dubito. Profecto Sodales iſtos Sacrorum Lanuvinorum a ſacerdotibus qui eadem ſacra perficerent, diverſos fuiſſe apparet, ex eo quod Tullius de Milone dixerit, Dictatorem illum fuiſſe Lanuvii; eoque die *y* quo Roma Lanuvium pergens Publium Clodium ſibi obviam factum in Appia via interfecit, debuiſſe eumdem neceſſario, & ex condicto, Lanuvium pergere ad Flaminem prodendum; hoc eſt, *creandum, edicendum, ac publice eligendum, & pronuntiandum; ſeu renuntiandum.* Quod enim de Flamine Junonis Soſpitæ Cicero locutus fuerit, quæ hactenus memoravimus, palàm faciunt. Itaque Milo, ceterique Sacrorum Lanuvinorum, quæ communia cum Populo Romano erant, Sodales & Curatores, Lanuvium ſtatis temporibus ac diebus con-

y Pro Mil.

veniebant; ibique Collegii ac Sodalitii principem creabant ex Sodalibus unum, quem *Dictatorem* appellabant. Huic juris dicundi, si quid, præcipue sacris de rebus, controversiæ ac negotii incidisset, potestas erat. ac penes ipsum sacerdotes in demortuorum locum eligendi & sufficiendi, de Sodalium tamen sententia & consensu, facultas fuit. Flaminem vero inter sacerdotes præcipuum, cuique numinis cura singularis erat, eligere solemni ritu debebat Dictator; statoque die in concione populi prodere atque edicere. Itaque P. Sextilius, (de quo lapis quem explicandum suscepimus) Sodalis fuit Sacrorum Lanuvinorum, potuitque, per vices, eorumdem Sacrorum Dictator creari, quemadmodum Milo; eidemque prodendi Flaminis esse potestas. Quæ omnia tunc temporis munia censita sunt honestissima. Unde magisque magisque viri nunc gloria claret, qui tot dignitatibus auctus, ac titulis honorificentissimis esset insignitus. Quæ sequuntur in inscriptione verba, hæc sunt. *Judici selecto Decuriæ Minturnensium*; *Decurioni Auximatæ*. Sextilius namque a Minturnensibus Campaniæ populis Judex fuerat selectus, & Auximatum in Piceno Decurio. Fuere Minturnæ, urbs nunc exciſa penitus ac ferme sine vestigiis, in Campania; ultra Fundos atque Itrum, contra Cajetam, prope Liris amnis ostia; inter Formias ad occasum, & Sinuessam ad ortum, urbes pariter exciſas, milliaria novem; a Fregellis item exciſis viginti. cujus ex ruinis *Trajectum* parvum oppidum in propinquo colle ad duo mille passus exstructum est; quod ab trajiciendo Liri nomen desumsit. ibi enim Liris quieta maxime fertur aqua, taciturnus amnis atque profundus; & a viatoribus Neapolim tendentibus scapha trajicitur. unde loco nomen *la scaffa*, aut *la barca*, aut *il passo del Ga-*

rigliano. Vidi ego ad ipſius fluminis dexteram exſtantes adhuc cultiſſimæ urbis ruinas in planitie; rudera nempe Amphitheatri, turris, & aquæductuum ad longiſſimum tractum e montibus ingentes reliquias. exſtant quoque ibidem pervetuſti pontis ingenti mole quondam conſtructi veſtigia. perque ipſum olim ipſa Appia via continuabatur. Celebris eſt locus ex propinquo Caji Marii ſenioris exſilio & fuga, qui, dum Lucium Sullam victorem fugeret, in Minturnenſibus paludibus delituit; tantuſque vir ac toties Conſul victorque, Carthaginem inde tranſmiſit, ubi emendicato pane ſuſtentari coactus eſt. De quo Juvenalis: 1

1 *Sat.* 10.

Exſilium, & carcer, Minturnarumque paludes,
Et mendicatus victa Carthagine panis.

Et Horatius de vino quod amico in cœnam apponere deſtinaverat: 2

2 *Epiſt.* 5. *lib.* 1. *v.* 5.

Vina bibes, itérum Tauro diffuſa, paluſtres
Inter Minturnas Sinueſſanumque Petrinum.

Porro Minturnas deducta Colonia eſt civium Romanorum poſt Samniticum bellum, cum de regionibus Samnio conterminis, atque ab hoſtibus depopulatis, præſidio muniendis conſilium agitari cœptum eſt: 3

3 *Liv. lib.* 10.

Itaque placuit, ut duæ Coloniæ circa Veſtinum & Falernum agrum deducerentur. una ad oſtium Liris fluvii, quæ Minturnæ appellata; altera in ſaltu Veſtino Falernum contingente agrum, ubi Sinope dicitur Græca urbs fuiſſe: Sinueſſa deinde ab Colonis Romanis appellata. Tribunis plebis negotium datum eſt, ut plebiſcito juberetur P. Sempronius Prætor Triumviros in ea loca Colonis deducendis creare. Nec qui nomina darent, facile inveniebantur; quia in ſtationem ſe prope perpetuam infeſtæ regionis, non in agros mitti rebantur. Hoc autem Appio Claudio ſecundum & Lucio Volumnio pariter ſecundum Conſulibus factum

eſt;

est; V. C. anno CDLVIII. Quamquam has Colonias nonnisi anno sequenti deductas Vellejus referat, inquiens: *At Fabio quintum & Decio Mure quartum Consulibus, quo anno Pyrrhus regnare cœpit, Sinuessam Minturnasque missi coloni*. De Minturnensi quoque *a* Colonia Julius Frontinus hæc habet: *Minturnæ muro ducta Colonia; deducta a C. Cæsare. Iter populo non debetur; ejus ager pro parte in jugeribus est adsignatus, ceterum in absoluto relictus*. Et Plinius *b*: *Colonia Minturnæ Liri amne divisa, Glanico appellato; oppidum Sinuessa extremum in adjecto Latio*. Itaque Publius Sextilius noster ab Decemvirorum magistratu Coloniæ Minturnensi, qui *Decuria* ab virorum numero dicebatur, inter multos Judex, ad jus nempe Minturnis dicendum, selectus est. Non autem ab illis Coloniæ primum deductæ post Samniticum bellum Colonis, verum ab nepotibus eorum, qui a Cajo Cæsare iterum Colonia deducta, ut ex Frontino didicimus, antiquam Reipublicæ administrandæ rationem Minturnis restituerant. Quamquam vero Sextilius Minturnensium Judex foret, Decurio quoque Auximatum fuit. Porro Auximum urbs olim nobilis in Piceno, nostra adhuc ætate viget ac floret. Nobis *Osimo*, antiquis *Auximum*, *Auxumum*, & *Oximum*. Sedet in colle ad Musonem fluvium, duodecim milliariis ab Ancona in meridiem; ac totidem ferme Æsium inter atque Lauretum. De illa, belli Civilis tempore in Cæsaris potestatem perducta, Lucanus: *c*

a *Lib. de Colon.*

b *Lib.* 3.

c *Lib.* 2.

Varus, ut admotæ pulsarunt Auximon alæ.

Quando vero sit Auximum deducta Colonia, docet Paterculus *d*: *Auximum autem* (missi Coloni) *in Picenum abhinc annos ferme CLXXXVII. ante triennium quam Cassius censor, a Lupercali in Palatium versus, theatrum facere instituit: cui in demoliendo eximia civitatis severitas,*

d *Lib.* 1.

tas, & Conſul Cæpio reſtitere. Fuit is annus Urbis DXCVII. Sex. Julio Cæſare L. Aurelio Oreſte Coſs. Ceterum, populi *Auximates* quidem dicti communiter; at in noſtra hac inſcriptione *Auximati*; Sextilius enim Decurio *Decuriæ Auximatæ* inſcribitur; unde argenteo, ut minimum, niſi & æneo Latinæ Linguæ ſæculo, eamdem inſculptam, deducimus. Sequitur in ipſa: *Curatori Reipublicæ Piſaurenſis*, ſive *Piſaurenſium*, ſive *Piſauri*. Fuit autem Piſaurum, hodieque eſt *Peſaro*, urbs culta & elegans ad mare Hadriaticum; aliquando in antiqua Umbria recenſita; aliquando vero inter Galliæ Ciſpadanæ ſive Togatæ urbes; poſtea demum Urbinatum Ducum in ditione, præcipua; in ora Semnonum, ad oſtium Iſauri fluvii, a quo nomen derivavit ſuum; Urbino viginti mille paſſus in montes diſtans; inter Ariminum ad occaſum XXV m. p. & Fanum Fortunæ ad ortum VI., a Totila Gothorum rege exciſum, ſed a Belliſario mox reſtitutum. De illo Catullus: *e*

e Carm. 82. ad Juvent.

Præterquam iſte tuus moribunda ſede Piſauri.

f Lib. 39. Deducta Piſaurum Colonia V.C. A.DLXX. quod *f* Livius memorat: *P. Claudio Pulchro, L. Porcio Licinio Coſſ. anno V.C. DLXX. Coloniæ duæ Pollentia in Picenum, Piſaurum in Gallicum agrum deductæ ſunt; ſena jugera in ſingulos data; diviſerunt agros, Colonoſque deduxerunt Treſviri Q. Fabius Labeo, M. & Q. Fulvii, Flaccus & Nobilior.* Et Vellejus *g*: *quadriennium poſt, Bononia, Piſaurum, ac Potentia, Coloniæ deductæ.* & Plutarchus in Antonio inter prodigia quæ Actiacum bellum præceſſere, etiam illud annumerat; Piſaurum ſcilicet urbem non longe ab Hadria, in qua Antonius Colonos deduxerat, hiatu terræ abſorptum periiſſe. Exinde fortaſſe ab Catullo *ſedes moribunda* appellatum eſt. Quod tamen & reſtitutum, & in hæc tempora cultum quam maxime atque elegans perdurat.

g Lib. 1.

rat. Ceterum, quod Sextilius noſter Curator Reipublicæ Piſaurenſium in lapide memoretur; non ideo evincit, Sextilii ætate, aut alia umquam, Piſaurum Rempublicam fuiſſe ſui juris, quæ nulli pareret, ſuiſque peculiaribus legibus uteretur. Hic ſcilicet eſt ſcopulus ad quem patriarum rerum ſcriptores plerique, cæco, ut ita dicam, amoris impetu, libentiſſime impingunt. vix enim patriam ſuam *Reipublicæ* titulo nominatam alicubi reperere; & continuo, nulli olim eamdem paruiſſe, ac ſui juris omnino fuiſſe, ut olim Athenienſium, & Romanorum, & modo Venetorum Reſpublica, confidenter admodum aſſeverant. Cum tamen *Reipublicæ* nomen nihil aliud omnino in quamplurimis vetuſtis monumentis certiſſime ſignificaverit, quam *la Comunità di quel paeſe*. quod & caſtellorum & villularum, mille, ne dum uni, dominis ſubditarum, aptiſſime dictum fuit. Iidem patriarum rerum ſcriptores ſimul ac repererint, in urbe patria uſurpatas voces fuiſſe, *Senatus Populuſque*, Romanorum inſtar, quibus proprium S. P. Q. R., exclamant continuo, nil jam dubii ſupereſſe, quin libera omnino urbs eadem patria fuerit; quippe quæ nihilo minus quam Roma, & Senatum habuerit & Populum, penes quos ſupremum eſſet imperium. In quo tamen hallucinantur egregie; præpoſteruſque in patriam amor illos a veritate quam maxime tranſverſos agit. Siquidem *Senatus Populuſque* fere ſemper illius urbis Magiſtratum ac plebem ſignificat; quibus tamen curtatiſſimum tantum jus, utpote Romanorum vel Reipublicæ vel Imperio ſubjectis, erat. Et *Senatus* & *Patres* etiam in pagis perexiguis, ac infrequentiſſimis, & mille dominis ſubditis, fuiſſe ſcimus; quod, inter alios, lepidiſſime Horatius monet: *h*

h *Ep.* 14. *l.* 1.

Villice ſilvarum, & mihi me reddentis agelli,

Quem

Quem tu faſtidis habitatum quinque focis, &
Quinque bonos ſolitum Bariam dimittere Patres.

Itaque Curator Reipublicæ Piſaurenſium, optime nunc Italice redderetur: *Agente o Deputato della Comunità di Peſaro*. Certe Romanis ſub Imperatoribus, quin etiam Romana florente Republica, urbes pleræque Romanorum imperata facientes ſuos in urbe Curatores, qui, ne quid earum domeſtica Reſpublica detrimenti caperet, apud Senatum vel Principem providerent, habere conſueverunt. Quod & ex aliis plurimis antiquis lapidibus, & ex eo præcipue quem ad radices Circeji promontorii in ruinis antiqui Circejenſium portus, haud ita multo ante detectum, nuper legi ipſe primus atque deſcripſi; quemque ineditum adhuc atque litteratis ignotum, nunc primum vulgare conſtitui, videre eſt. En Circejenſis inſcriptio ad pontem prope portum nunc proſtans:

C. VIBIO C. F. POMPTIN.
CELERI PAPIRIO RVFO
PRAEF. COH. I. MONTANOR.
TRIB. COH. I FLAVIAE HISP.
∞ EQ. PRAEF. ALAE IVL. P.
SINGVL.
CIRCEIENSES PATRONO
EX D. D. P. P.

Et in alio fragmento lapidis ibidem detecto:

.....
LEG. VII. CLAVD.
CVRAT. AQVAE TIBVRT.
CIRCEIENSES
PATRONO
EX D. D. P. P.

Qui-

Quibus alios duos, quamquam abs re de qua nobis primarius ſermo, liceat hic adjungere, quod ibidem effoſſi, numquam (quod quidem ego ſciam) in publicum editi ſunt. Primus ad radices Circei montis, ubi & Ægyptiæ ſtatuæ repertæ, ſic habet:

D. D.
MATRI DEVM
M. AGILEIVS FAVSTVS
AGILIA PAEZVSA AGGLE
PRAETORIA ..... PORTICVM
ET CVBICVLVM D. S. P. P.

Alter ſic:

HORAEA
LEPIDI. L
PHOGENES.

Nunc ad reliquum Lanuvini lapidis de P. Sextilio interpretandum redeamus. Itaque *Sodalis Auguſtalis* inſcribitur; de quo cum in ſuperioribus hoc ipſo capite, & fuſius libro de Antiatibus diſſeruerim; non eſt, quod actum agamus. *Præfectus* itidem *Fabrûm* Sextilius nominatur. Scilicet Collegii Fabrûm, quod Lanuvii erat. Fabrûm Collegia in urbibus Latinis, ut Romæ, fuiſſe conſtat. quemadmodum & noſtra ætate artificum Collegia quamplurima hic videmus, quæ Patronos ſive Præfectos viros clariſſimos ac nobiliſſimos ſibi adoptant. Sextilius denique *Patronus Coloniæ Lanuvinæ* atque idem *Colonus* inſcribitur; publiceque illi ſtatuam fuiſſe conſtitutam, in cujus baſi ſive fulcro hæc tota, quam expoſuimus, inſcriptio inciſa fuit notis publicis, nempe de Decurionum decreto, totiuſque populi Lanuvini conſenſu, ac plauſu, vox illa *publice* ſola elegantiſſime ſignificavit.

Ceterum in Lanuvino Junonis Soſpitæ templo theſauri ingentes ſacræ pecuniæ repoſiti antiquitus memorantur. Siquidem diutiſſimus obtinuit mos apud Latinos, a quibus Romani accepere, quemadmodum & apud exteras alias gentes paſſim, ut in fanis deorum, pecuniæ conderentur; tum quas in deorum cultum expenderent, tum quæ Reipublicæ arctis in rebus, præſto eſſent, ac ſalutares. Quod & de Solymorum Templo, Deo Optimo Maximo ab Judæis conſecrato, legimus in Sacris literis; proptereaque a Syriæ, Mediæ, ac denique Græcorum regibus, ejuſdem rapinæ inhiantibus, urbs eadem Hieroſolyma toties bello, atque obſidione toties, petita eſt. Ejuſdem quoque moris veſtigia nonnulla ſunt apud nos. ſiquidem, & pretioſiſſimæ aureæ argenteæque ſupellectilis theſauri, cum ingenti gemmarum vi, tum Laureti apud Divæ Virginis Ædem, tum Venetiis ad Divi Marci, tum Patavii ad Divi Antonii celeberrima templa aſſervantur. tum vero antiquorum more magis expreſſo, Romæ in Hadriani mole apud Sancti Angeli, quod vocant, Sacellum, quinquagies centena aureorum millia ab Xyſto illo V. immortalis nominis Pontifice Maximo, in Chriſtianæ Reipublicæ præſentiſſimum ſemper, ubi res arctiſſimæ poſcant, auxilium collocata multiplicibus vectibus, ſeris, & clavibus cuſtodiuntur. De Lanuvinis theſauris apud Junonis Soſpitæ ſic Appianus, de Auguſto diſſerens *i*: *Cæſar e fanis pecunias accipiebat mutuo, promittens ſe redditurum cum fœnore: e Capitolio, Antio, Lanuvio, Nemore, ac Tibure; in quibus oppidis hodie quoque ſunt theſauri pretioſi ſacræ pecuniæ.* Ubi notandum, quod nonniſi in celeberrimis ac munitiſſimis templorum, pecuniæ iſtæ reponebantur. Quare in Capitolio apud Jovis Capitolini, Antii ad Fortunarum, Lanuvii ad Junonis Soſpitæ,

i *Lib.* 5. *Bell. Civil.*

pitæ, Nemore (hodie *Nemi*) apud Dianæ Nemorenſis, Tibure denique, apud Herculis magnificentiſſima ac munitiſſima templa, conditæ erant. Privatas quoque pecunias templorum ſive fanorum tutelæ commendare unicuique integrum erat. Quare Plautus Euclionem ſenem parciſſimum & egregie avarum de auri *aula*, h. e. *olla*, ſollicitum ac maxime anxium, eamdem ad Fidei fanum deportantem, ejuſque numinis tutelæ ſic commendantem inducit elegantiſſime : k

k *In Aululár. act. 3. ſc. 6.*

Ædepol næ tu, aula, multos inimicos habes:
Atque iſtuc aurum, quod tibi concreditum eſt.
Nunc hoc mihi factu optumuſt, ut te auferam,
Aula, in Fidei fanum; ibi abſtrudam probe.
Fides, novi ſti me, & ego te: cave ſis tibi,
Ne tu in me mutaſſis nomen, ſi hoc concreduo.
Ibo ad te fretus tua, Fides, fiducia.

Mox ſubdit in ipſo jam Fidei fano conſiſtens: l

Tu modo cave cuiquam indicaſſis aurum meum eſſe iſthic, Fides.

l *Ibid. act. 4. ſc. 2.*

Non metuo ne quiſquam inveniat, ita probe in latebris ſitum eſt.
Ædepol næ illic pulchram prædam agat, ſi quis illam invenerit
Aulam onuſtam auri; verum id, te quæſo, ut prohibeſſis, Fides.
Nunc lavabo, ut rem divinam faciam, ne affinem morer,
Quin ubi accerſat me, meam extemplo filiam ducat domum.
Vide, Fides, etiam atque etiam nunc, ſalvam ut aulam
abs te auferam.
Tuæ fidei concredidi aurum, in tuo luco & fano modo eſt ſitum.

Præter pecunias vero, tum publicas tum privatorum, quæ apud Junonis Soſpitæ aſſervabantur Lanuvii; ingens, ſupra quam credi poteſt, votivorum donorum ex auro argentoque confectorum vis, circa ejuſdem interiores templi parietes appenſa, proſtabat. Ex his vetuſtate jam corruptis auream argenteamque

Junoni ſtatuam ab Hadriano factam & conſecratam, nos docet lapis, quatuor circiter ab hinc menſibus *m*: apud oppidum *Civita Lavinia* Veteris Lanuvii ſedem, erutus in ſubterraneo ſpecu, in fundo Franciſci Furtii Lanuvini Pharmacopolæ, loco qui *Contrada S. Lorenzo* incolis dicitur. Ex quo, illum templi Soſpitæ olim dedicati ſitum eſſe, manifeſtiſſimum fit. Lapidem nuper, cum Lanuvina monumenta præſentes relegeremus, ſic recenſuimus:

m *Ann. a V.P. MDCCXXIX. hæc ſcripta ſunt.*

IMP. CAES. DIVI TRAIANI
PART. F. DIVI. NERVAE. N.
TRAIANVS. HADRIANVS. AVG
PONT. MAX. TRIB. POT. XX. COS. III. P. P
I. S. M. R. STATVAM. EX. DONIS. AVREIS
ET. ARG. VETVSTATE. CORRVPTIS
FIERI. ET. CONSECRARI. IVSSIT
EX. AVRI. P. III-ET. ARG. P. CCVI=

Quas ultimas notas (nam cetera ſatis conſtant) ſic interpretor: *Ex auri pondo libris ter mille, ex argenti pondo ducentis ſex.* Neque incredibile aureum hujuſce ſtatuæ pondus ulli videbitur, qui donorum aureorum vim maximam per tot ſæcula congregatam in hoc templo æſtimaverit. Ad quadraginta certe pondo auri librarum, dona a matronis Lanuvinæ Junoni allata, non ſemel Livius commemorat. Quod ſi Conſulum, qui ſtatim ac Magiſtratum iniverant, Lanuvium, ad Soſpitæ ſacrificandum, ex veteri inſtituto ſe conferebant, dona in annos ſingulos addideris; quam facile Hadrianus ex aureis donis vetuſtate corruptis ſtatuam auream Junoni pondo librarum ter mille, potuerit conficere, ſatis colliges. Ceterum, & in Laciniæ Junonis templo apud Brutios aureum donum majoris multo ponderis fuiſſe olim crediderim, auream illam ſolidam columnam, quam ex divenditis pecudibus Junoni ſacris congregata pecunia

cunia in eo templo conſtitutam tradidit Livius, cujus nos ſupra verba hic recitavimus. Aliam Junoni Soſpitæ Lanuvinæ ſtatuam (quamquam illam neque auream crediderim neque argenteam, verum aut marmoream aut æneam) dedicatam & conſtitutam in eodem templo, innuere videtur lapis, qui circa locum ipſum erutus, nunc ante ædes Caroli Bonelli, ad oppidum *Civita Lavinia* proſtat. Hunc ita legimus:

IVNONI. S. M. R.
Q. OLIVS. PRINCEPS
REDEMPTOR. OPER....
PVBLICORVM
LANIVINORVM
DE. S. D. D.

Scilicet Quintus Olius Princeps Redemptorum Operum publicorum Lanivinorum de ſententia Decurionum ſtatuam Junoni Soſpitæ Magnæ Reginæ poſuit; quod aliquo ſe ſuumque ordinem beneficio ab ea affectum crediderat. Princeps autem redemptorum operum publicorum diceretur nobis nunc: *Il Capo appaltatore, o affittuario della Camera regia, o del Fiſco, ſopra le pubbliche fabbriche o gabelle, o ſimile.* Erant enim *Opera Publica* vel Ædificia, ut Templa, Theatra, Thermæ, Circi, Cloacæ, aliaque id genus, quæ ſarta tecta ſervari debebant: vel molæ, macella, furni, portoria, ex quibus tributa publica colligebantur. Qui autem Publico Ærario vel Fiſco ſummam aliquam pecuniæ pendebant, ut ſibi ex his operibus quæſtum compararent, eorumque redditus colligerent; hi *Redemptores Operum Publicorum* appellabantur.

Porro Lanuvinæ Junoni Soſpitæ non tantum pecu-

cunias pretioſamque ſupellectilem veteres concredebant; ſed & charorum ſuorum cadavera ejus fidei, intra, vel circa templi ambitum commendabant. Hujuſce moris non unum nuper, in ejuſdem templi ruderibus, perſpicuum argumentum deteximus. Nam & ſarcophagus ingens e vivo cavatus ſaxo, dum arena ad ædificia erueretur, apparuit; in quo giganteæ profecto magnitudinis oſſa condita erant, cum vaſculis, teſtaceo altero, altero forte vitreo, verum calce aut materia ſimili obducto: quæ ad lacrimas excipiendas, ab propinquis in defuncti funere illuc ſparſas, facta videntur. reperti quoque ibidem lapilli permulti, quos ex figura laterculos recte diceres, niſi tamen e vivo ſaxo conſtarent; de pumicum ſpecie, cum canaliculo & foramine, quaſi ſimul aptandi, ac veluti monile, ſeu coronam compoſituri. Quorum uſum hactenus me non cognoviſſe, candide fateor. Aliorum pariter cadaverum circa Soſpitæ Lanuvinæ templum conditorum, ut nempe religioſo ac ſancto loco poſita, ne violarentur ulla umquam injuria, meminit cippus in ruinis templi ejuſdem repertus. quem literis licet valde exeſis & vetuſtate corruptis legimus tamen, apud oppidum *Civita Lavinia*, præ foribus Divæ Magdalenæ proſtantem, ſic:

L. IVNIVS TIB. F. IVL. MIL. L. I.
- - - - - - - - - - T. F. VSINIA MATER
FILIO PIENTISSIMO
ET SP. IVNIO EROTYLLO
FRATRI EIVS
VSINIO ATIMETO ET S. I. M.
IN HOC RELIGIOSO LOCO
ERGO SANCTVS POSITVS EST
NE QVIS VELIT
HVIC LOCO INIVRIAM FECISSE
IVSSA PER QVIETEM
NOCTIS VIS. CAVIT.

Ha-

Ruderum Celeberrimi Iunonis Sospitae Templi apud Lanuvium, in fundo Caroli Bonelli, Prospectus

Habes hic Uſiniam Junii matrem filio ſepulcrum una cum Erotyllo fratre, & Uſinio Atimeto poſuiſſe in loco religioſo, ſcilicet intra vel circa S. I. M. Soſpitæ Junonis Magnæ templum; ipſumque ſepulcralem cippum eidem S. I. M. Soſpitæ Junoni Magnæ dedicaviſſe, ne quis religioſo ac ſancto loco poſitis ſuorum cineribus injuriam faceret. Utque majorem omnibus religionem loci injiceret, eoſque ab injuria ſepulcro inferenda magis abſterreret; ſe juſſu umbræ filii ſui Junii, quæ per quietem noctis viſu illi apparuerat, eo loco ſepulcrum conſtituiſſe, adjunxit. Pœnas proinde tum S. I. M. Soſpitæ Junoni Magnæ, tum Junii filii ſui Manibus daturum egregias, quicumque loco injuriam feciſſe auſus foret. Tantus in filiorum cineres maternus amor! tanta erga Soſpitam Junonem Lanuvinorum reverentia! Tantum denique tenebrarum, quibus, circa divina, miſerrimi illi ſimulacrorum cultores obvolvebantur, obſcurum!

CAPUT V.

De reliquis Lanuvinorum ædificiis, ac præcipue de Villis, antiquitus in agro Lanuvino ſitis.

PRIMUM inter Lanuvina ædificia, quod, deſcriptis jam templis, ſe ſe offerat, *Amphitheatrum* eſt, quod & fuiſſe Lanuvii ex veterum teſtimoniis, & peramplum fuiſſe ex ruderibus ejus adhuc exſtantibus, nobis conſtat. Quod fuerit Lanuvii Amphitheatrum memorat Ælius Lampridius in Commodo, referens de illo: *Appellatus eſt etiam Romanus Hercules, quod feras Lanuvii in Amphitheatro occidiſſet.* Eruitur etiam ex Sexto Aurelio Victore, & ex Salmaſio in ſuis ad Julium

lium Capitolinum notis, quod Antoninus Pius e Lanuvino municipio ortus, Lanuvii ſæpe, tum ante imperium, tum in ipſo quoque imperio, tunicatus incederet, atque ibidem tunicatus in Amphitheatro ludos ſpectaret. Denique & Ligoriana inſcriptio, in qua Pambei Laniſtæ Lanuvini fit mentio, fuiſſe Lanuvii Amphitheatrum, & omnia alia ædificia quæ ad Amphitheatri ſupellectilem univerſam ſpectabant, ſatis confirmat. *a* Hæc autem fuere *gymnaſium* pro gladiatoribus & athletis; *ſtadium*; *porticus*; *ambulacra*; *cavea* ad feras cuſtodiendas, ceteraque a nobis in noſtro de Antiatibus libro enumerata. In hoc Lanuvino Amphitheatro ludos per triduum exhibitos, Libertorum quorumdam ſumptibus, memorat lapis ex Lanuvii ruinis erutus, hodieque in oppido *Civita Lavinia* apud Dominicum Fauſtum Frezza aſſervatus, literis grandioribus inſcriptus, ſic:

a *Cap. 3. hujus lib.*

- - - - - - - - - - - - - - - FLACCVS
- - - - C. L. L. SVMMACHVS
- - - - S. L. L. DOROTEVS
- - - - C. Q. L. VERNA
- - - LVDOS. TRIDVOM. FECER

Curiæ locum pro Senatoribus, ædificiis ornatum, Lanuvii exſtitiſſe, ea quæ de Lanuvinorum Republica, honeſtiſſimoque municipio, retulimus, pariter innuunt. Aliud quoque publicum pro Auguſtalium Collegio ædificium, & alterum pro Curia mulierum indicat inſcriptus lapis Sulpicio Lanuvino in hæc verba: *b*

b *Fabrett. c. 9. p. 659.*

C.

C. SVLPICIO VICTORI
PATRI EQVITVM ROMANORVM
HOMINI INNOCENTISSIMO PATRONO
MVNICIPI S. P. L.
OB IMPAR. OBSEQVIVM ET
ERGA SE IMMENSAM MVNIFICENTIAM EIVS
EQVESTREM PONENDAM CENSVERVNT
DEDICARVNTQVE.
OB CVIVS DEDICATIONEM
VIRITIM DIVISIT DECVRIONIBVS
ET AVGVSTALIBVS
ET CVRIIS N. XXIIII
ET CVRIAE MVLIERVM EPVLVM DVPLVM DEDIT

Immo hæc inſcriptio, ut vides, plures Lanuvii Curias, præter Senatorum & mulierum, fuiſſe, innuit. Quamquam enim *Curiæ* dictæ fuerint populi diviſiones ſive *turmæ*, quales modo in Chriſtianis urbibus, vocamus Italice *parrocchie*; nihilo tamen minus hæ Curiæ populi ſuum habebant publicum locum ædificiis ornatum, quo conveniebant, conſultabant, ſacra faciebant, & omnia quæ e ſuæ turmæ republica forent, conſtituebant. Circa forum fere fuiſſe has Curias omnes, crediderim; illaſque porticibus, columnis, ac ſtatuis virorum illuſtrium, Antoninorum præſertim, atque eorum familiæ, ornatas; quemadmodum allatus lapis de Sulpicio teſtatur. Utrum autem Curia mulierum, Lanuvii, fuerit mulierum ſacerdotum, & vero Junonis Soſpitæ, dubitari poteſt; cum vix alio quam religionis nomine, in eo municipio mulierum Curia eſſe potuerit.

Porro, inter alias clarorum virorum ſtatuas, Lanuvii poſitas, fuiſſe T. & M. Aureliis Antoninorum libertis Pantomimis ſcimus, earumque inſcriptiones hoc libro dedimus. Atque hæc intra Lanuvinam urbem publica fuere ædificia. nam privatorum etiam ornatis ædibus frequentem fuiſſe eamdem, facile perſuadet Romana civitas Lanuvinis omnibus data, ab ipſo

ferme Romanæ Reipublicæ exordio. Quamquam non eas ædes magnificas adeo, ſumptuoſeque exſtructas exiſtimo, quales deinde Romæ luxuriantibus ſæculis exſtructæ ſunt. Ceterum in agro Lanuvino quamplurimas, tum Lanuvinorum, tum vero Romanorum villas antiquitus exſtitiſſe, ex veterum teſtimonio cognoſcimus. Licet enim locus quo olim ſitum fuiſſe Lanuvium conſtat, inſalubri per hæc tempora utatur cælo, atque aere, quod & Libycis Auſtralibuſque ventis expoſitus, & Pomptinarum paludium craſſiores halitus vaporeſque, quamvis eæ non ita ſint proximæ, ebibat; & (quod caput eſt) paluſtres Laurentinos campos Lanuvinus ager magna ex parte complectatur; nihilominus olim Lanuvina ruſticatione Romani delectati ſunt, tamquam ſeceſſui peropportuna. certiſque anni temporibus, quibus Lanuvinus aer minime corporibus noceret, hieme puta, ac vere illuc adibant. Certe Ciceronem villam in Lanuvino habuiſſe, pluribus ejuſdem teſtimoniis didicimus. Hic enim in Epiſtolarum ad Atticum libris, duodecimo, tertio, quarto, & quintodecimo, ſæpe de ſua Lanuvii manſione ſcribit; multaſque ex illis epiſtolis dediſſe Lanuvii, conſtat. Afferam teſtimonia; epiſtolarum tamen numerum non deſignabo; quod in aliis codicibus eæ aliter, in multis vero nullo modo numerentur. Et libro quidem duodecimo: *Poſtridie Iduum Lanuvii conſtitui manere, inde poſtridie in Tuſculanum*; & in calce epiſtolæ repetit: *Ego poſtridie Iduum, ut ſcripſi ad te ante, Lanuvii manere conſtitui; inde aut Romæ, aut in Tuſculano*. In ſequenti epiſtola, tertio idem confirmat. *Ego hinc* (fortaſſe Aſturæ in villa ſua, dicit) *ut ſcripſi antea, poſtridie Idus Lanuvium; deinde poſtridie in Tuſculano: contudi enim animum, & fortaſſe vici, ſi modo permanſero*. Tum proximis litteris: *Lanu-*

vio

vio pergam in Tuſculanum. Libro autem tertiodecimo: *Quo autem Lanuvio? Conor equidem in Tuſculanum*. & in fine epiſtolæ: *Mittam tamen ad te exemplum, fortaſſe Lanuvio*. Ceterum & in ſolſtitio Ciceronem Lanuvium adiiſſe, & Aſturæ ruſticatum, ſequenti ex ejus teſtimonio conſtat: *Aſturam veni octavo Kalendas Julias, vitandi enim caloris cauſsa Lanuvii tres horas acquieveram*. Et vero ferventiſſimo ipſo Sextili menſe, Lanuvii Ciceronem ruſticatum, apparet. ait enim eodem libro tertiodecimo: *Pollex quidem, ut dixerat, ad Idus Sextiles, ita mihi Lanuvii pridie Iduum præſto fuit; ſed plane pollex, non index. Cognoſces igitur ex ipſo. Balbum conveni: Lepta enim de ſua vi in curatione laborans me ad eum perduxerat: in eo autem Lanuvino, quod Lepido tradidit*. Ex quibus cognoſcimus, vel Ciceronis ætate, ſalubrem omnino etiam æſtivam Lanuvii ruſticationem fuiſſe; vel certe non adeo inſalubrem, ut ejus tranquillitas & ſeceſſus Romanis turbis, per id tempus propter civilia bella frequentiſſimis, non anteponi deberent. Produnt item allata verba, Balbum, Ciceronis æqualem & neceſſarium, villam in Lanuvino habuiſſe; item Leptam. atque hunc M. Lepido illi conſtituendæ Reipublicæ cum Antonio & Octavio, Triumviro, Lanuvinum ſuum tradidiſſe. De Balbi autem Lanuvino, etiam infra, in alia ejuſdem libri epiſtola, ſic: *Admonitus quibuſdam tuis litteris ut ad Cæſarem uberiores litteras mitterem, inſtitueram; cum mihi Balbus nuper in Lanuvino dixiſſet, ſe & Oppium ſcripſiſſe ad Cæſarem, me legiſſe libros contra Catonem & vehementer probaſſe*. Libro autem decimoquarto de ſe idem Cicero: *Nunc quid putas me Lanuvii?* & de Bruto, qui pariter villam habuit in Lanuvino: *Ita ne vero? hoc meus & tuus Brutus egit, ut Lanuvii eſſet?* Denique libro decimoquinto: *Gratiſſimum, quod polliceris*

Ciceroni nihil defuturum: de quo mirabilia Meſſala, qui Lanuvio rediens ab illis venit ad me. Utrum autem & Atticus villam habuerit in Lanuvino, incertum eſt. ea enim ad ipſum, libro quartodecimo epiſtolarum, Ciceronis verba: *Cito conjeci, te Lanuvii fuiſſe*; ad hoc ſtatuendum nimis ambigua ſunt. Cur enim Atticus Lanuvii, vel apud alium aliquem amicorum, vel in ipſo Ciceronis Lanuvino eſſe non potuit, & tamen Lanuvina villa ipſe caruiſſe? Qualis autem ſtructura Lanuvinæ Ciceronis villæ, æqualiumque ſuorum fuerit, ex ipſius Tullii verbis colligitur. ſcilicet in balneis magnam partem ædificii poſitam fuiſſe; in ambulacris & porticibus aliam; in exedris, in aulis, quas *ſcholas* vocabant. Porro, picturis, ſtatuis, columnis omnia undique conveſtita atque ornata erant. Nominibus quoque celebriora villæ loca ſingula illuſtribus exornabant: cujus moris Tiburtina cum primis Hadriani villa documentum inſigne fuit. Et de Lanuvinis Cicero, in eodem epiſtolarum ad Atticum decimoquinto, ſic: *O rem miſeram! primum ullam ab iſtis: dein ſi aliquam, hanc legatariam provinciam: atque haud ſcio an melius ſit, quam ad Eurotam ſedere. Sed hæc caſus gubernabit. Ait autem eodem tempore decretum iri, ut & iis & reliquis prætoriis provinciæ decernantur. Hoc certe melius, quam illa Perſice porticus: nolo enim Lacedæmonem longinquam Lanuvium exiſtimaris. Rides, inquies, in talibus rebus? Quid faciam? plorando feſſus ſum.* Loquitur enim hic Cicero de Bruto & Caſſio interfectoribus Julii Cæſaris, qui poſtquam a cæde Lanuvium receſſiſſent, ibique aliquamdiu latitaſſent, jam in Provincias ire cogitabant. aitque dubitandum primo, utrum melius foret, eos in Lanuvino ſeceſſu otiari, an ad Reipublicæ gubernacula exinde accedere; mox, ſeu ſerio, ſive per jocum, melius plane eos facturos dicit,

dicit, ſi ad Rempublicam e Lanuvinis latebris rurſus acceſſerint. Nominat autem & *Eurotam*, & *Perſicen*, & *Lacedæmona*, quæ locorum nomina erant in villis Lanuvinis Ciceronis & Bruti; exempli cauſſa *Perſice* porticus fuerit in qua *Eurotas* fluvius *Lacedæmoniorum* depictus erat, Brutuſque per otium ſedere, ac pictum illum fluvium contemplari ſolitus fuerat.

Ceterum, etiam Auguſtum villam in Lanuvino habuiſſe, ſcribit Suetonius *c*: *Villas habebat in oppidis maritimis, & etiam Lanuvii, Præneſte, & Tiburi*. Antonini vero Pii Imperatoris villam Lanuvinam, omnium, quæ circa erant, magnificentiſſime exædificatam, ruinæ, quæ hodieque, tot evoluta poſt ſæcula, ſuperſtites longe lateque viſuntur, cumulatiſſimam fidem faciunt. ibidem teſtacea hæc inſcriptio reperta eſt: *d*

c *In Octav.*

d *Fabrett. Inſcript. c. 7. p. 518.*

EX PRAEDIO M. AVRELII ANTONINI
OPVS DOLIARE NVMERII IVSTI

Hujus villæ ruderum faciem aliquam prout nunc exſtant, infra mox dabimus. Lanuvii quoque prædia habuiſſe Fulvias Lucillam & Suabillam, ex his figlinæ inſcriptionibus conſtat, ibi detectis: *e*

d *Fabrett. c. 7. p. 516.*

OPVS DOLIARE
EX FIGLINA FVLVIAE LVCILLAE

Et ex altera:

OPVS DOLIARE
EX FIGLINA DOMIT. MAIOR
FVLVIAE SVABILLAE

Fabilliæ item gentis in agro Lanuvino prope viam Ap-

Appiam prædia ac villam exſtitiſſe, tradit Ligorius *f*; aitque ibidem repertas plures inſignes deorum ſtatuas; nempe Herculis, Dianæ, Apollinis, & Martis; Fauni quoque Latinorum regis, & ab Latinis inter deos, ſive ſemideos, recenſiti. Habuere præterea villas in Lanuvino familiæ omnes Lanuvio exortæ, quarum infra ſeriem recenſebimus. Tum etiam ii omnes quorum vel ſepulcrales lapides, vel diis factas dedicationes, hoc libro, ubi de Lanuvinorum templis egimus, in medium attulimus.

f v. Fabilliano.

In Lanuvinarum vero villarum prædiis *bulbam* ſeu *bullam madidam*, fungi fortaſſe genus, paſſim enatam cognovimus, ex eo quod Lanuvini hoc frequentiſſime cibo delectarentur. Ait enim Macrobius in Saturnalibus *g* de nucibus differens, quarum ex corylo arbore productarum apud Prænestinos ingens copia, de Lanuvina bulla, vel bulba, ſic: *Eſt & illud apud Nævium in ariolo: Quis heri apud te? Prænestini & Lanuvini hoſpites. ſuopte utroſque decuit acceptos cibo, alteris inanem bullam, ſeu bulbam, dari; alteris nuces in proclivi profundere.* Idem etiam auctor inter *h* pyrorum celebres ſpecies *Antianum* & *Lanuvinum* pyrum annumeravit. Ubi notandum obiter eſt, Latinos veteres (nam ex Cloatio Macrobius ſeriem illam pyrorum deſumſit) res ad Antium urbem pertinentes, præter *Antiates* & *Antiatinas*, *Antianas* etiam aliquando nominaſſe.

g Lib. 3. c. 18.

h Lib. 3. c. 19.

CA-

CAPUT VI.

De Solonio in Agro Lanuvino.

FREQUENTISSIMUM Romanorum villis, ad quas, in hiberna veluti, concederent, Lanuvinum agrum fuisse, hactenus narratum est. nunc agri ejusdem partem, dictam *Solonium Campum*, sive *Solonium* sine addito, eamque veteribus scriptoribus tamquam celebrem commemoratam, referemus. Itaque Solonius, sive Solonius Campus, præcipua Lanuvini agri pars, Tullio, Livio, Plutarcho, & Festo, memoratur. Et Tullius quidem *Quid amores* (a), inquit, & *deliciæ tuæ, Roscius, num aut ipse, aut pro eo Lanuvium totum mentiebatur? qui cum esset in cunabulis, educareturque in Solonio, qui est Campus Agri Lanuvini; noctu lumine appositio, experrecta nutrix animadvertit puerum dormientem circumplicatum serpentis amplexu.* Altero autem de Divinatione libro idem Tullius Solonium Campum serpentibus abundasse, & a rusticis, tamquam innocuos cicures atque familiares hospitio recipi consueviſse, tradit his verbis: *De ipso Roscio potest illud quidem esse falsum, ut circumligatus fuerit anguis, sed ut in cunis fuerit anguis non est tam mirum: in Solonio præsertim, ubi apud focum angues nidulari solent.* quod vel ex vicinis forte paludibus traxisse originem, (siquidem Solonium Campum in planicie ad mare, Antium inter atque ostia Tiberina protensum, mox indicabo) vel ex Lanuvinorum perantiqua superstitione potest; quod Junoni Sospitæ Lanuvinæ sacrati essent angues; vel tandem, quod ex ea specie essent quæ veneno careret. ut oblongi illi esse perhibentur quos Italorum vulgus vocat *Saettoni* a velocitate currendi,

a *Lib.* 1. *de Divinat.*

se se

ſe ſe in ſpiras dum volvunt, atque contorquent, ſagittarum inſtar.

Ex hac vero ſerpentum ſpecie fuiſſe qui in Solonio apud focum nidulari ſolebant, eo magis inclinor ut credam, quod Horatius in agro Lanuvino ſerpentem ſimilem nominaverit, in eo quod ſupra expoſuimus, ad Galateam navigaturam carmine, ſic:

Impios parræ recinentis omen
Ducat, & prægnans canis; aut ab agro
Rava decurrens lupa Lanuvino,
Fœtaque vulpes.
Rumpat & ſerpens iter inſtitutum,
Si per obliquum ſimilis ſagittæ
Terruit mannos.

Ecce, in agro Lanuvino ſerpentes ſimiles ſagittæ, ex Horatii teſtimonio, fuiſſe. Deſignari quoque a nobis Solonius idem Campus poſſe videtur, qua potiſſimum veteris Lanuvini agri parte fuerit. Ex iis enim quæ mox ex Plutarcho referemus, is fuiſſe videtur Solonius Campus qui inter Numicii Juturnæque fluminum fontes, ſive inter oppida nunc *Caſtel Savello*, & *Patrica* extenditur; quo in ſpatio nunc loca vulgaribus vocabulis appellantur *Sant' Abrocolo*, *Torre Maggiore*, *Cerqueto*. Siquidem Cicero, Antio Solonium proximum fuiſſe, ſeu verius Antiati agro, deſignat; ait enim ad Atticum, de lege Agraria locutus *b*: *Eſt res ſane magni conſilii. nam aut fortiter reſiſtendum eſt legi Agrariæ; in quo eſt quædam dimicatio, ſed plena laudis; aut quieſcendum: quod non eſt diſſimile, atque ire in* Solonium, *aut Antium*. Quibus plane innuit Cicero, & villam ſibi in Solonio fuiſſe, quemadmodum & Antii (quod noſtro de Antiatibus libro docuimus) & quietiſſimum ac remotiſſimum ad ruſticandum locum, Solonium Campum fuiſſe. Livius

b *Lib.* 2. *ep.* 3.

au-

Larva antiqui operis marmorea satyrum repraesentans, ex qua fons aquae defluit, muris Lanuvii oppidi infixa.

Saxum, pumicis instar, foramine et canaliculo distinctum, cum plurimis similibus repertum in vetusto sepulcro, apud Iunonis Sospitae, Lanuvij.

Vasculum ex argilla eodem in sepulcro cum aliis eiusmodi inventum, ad lacrimas vel ad unguenta



Tab.

Vetus Sepulcrum Marmoreum in Oppido Civita Lavinia ante Sacram Aedem Principem

I



II

I. *Fragmentum antiquae Coronidis, quod modo visitur muro insertum in Oppido Civita Lavinia; loco, qui dicitur La Pescaria.*

II. *Urna antiqua marmorea in eodem oppido extans, iuxta Portam et Moenia jam dudum publico fonti inserviens.*

Rudera Veterum Aedificiorum in Villa Lanuvina Antoninorum olim Imperatorum, quae in Villa Ducis Caesarini, prope Cynthianum, juxta Viam Appiam adhuc extant.

Fragmentum marmoreae Tabulae elegantersculptae antiqua coelatura, nuperrime effossae inruderibus Villae Lanuvinae Antoninorum; inqua quadrigarum circa metas cursus repraesentatur.

Collis Cynthianum inter et Lanuvium, vetustis aedificiorum vestigiis celebris, uulgo = Le Due [2] Torri

autem eumdem Solonium Campum Oſtienſi atque Ardeati conjungit. ait enim libro octavo: *Antiates in agrum Oſtienſem, Ardeatem, Solonium, incurſiones fecerunt.* Plutarchus quoque in Mario, Solonium Campum Oſtienſi conterminum exſtitiſſe confirmat, eumdemque Romanorum villis ac prædiis frequentem. Siquidem de C. Mario ſeniore, Sullæ impetum ac victoriam fugiente, inquit: *Caterva ejus, ut primum elapſus eſt urbe, diſſipata, primis tenebris recepit ſe in villam quamdam ſuam Solonium. Filium inde, ut viaticum ſumeret, miſit ad prædia Mucii ſoceri ejus, haud procul diſſita: ipſe ad Oſtiam deſcendit: ubi amicus ejus Numerius paraverat ei navigium. Nec exſpectato filio, ſed comite privigno Granio, navem ſolvit. Filius, ut in prædia Mucii venit; dum ſumit aliquid & componit; luce oppreſſus non omnino fefellit hoſtes.* Denique maxime omnium Pompejus Feſtus locum graphice, ac digito, ut dici ſolet, oſtendens, *Pomonal*, inquit, *eſt in agro Solonio, via Oſtienſi, ad duodecimum lapidem, diverticulo a milliario octavo.* Quid autem *Pomonal* hoc fuerit, non ſatis liquet. Num enim locus pomiferis arboribus conſitus, & ubi pomaria multa ſimul eſſent, per nomen hoc deſignatur? Num Pomonæ, pomorum ac fructuum omnium deæ olim habitæ, locus aliquis ſacer? Huc potius inclinat animus. Præſertim dum meminit, in fabulis fuiſſe, Pomonam pomorum deam a Pico Laurenti Latinorum rege in his locis adamatam; propter quod a Circe in avem ſui nominis eſt tranſmutatus, ut habet [c] Ovidius: *Vicum* quoque *Pomonæ* a Sexto Rufo memorari, ac demum ab eodem Pompejo Feſto *Pomonalem Flaminem* recenſeri, qui ultimus omnium Flaminum dignitate foret. Ceterum, Solonium, ſive Solonius Campus, unde nomen acceperit, nondum reperi. Non enim in eo, vel ab antiquiſſimis tempo-

c *Metam. lib.* 14.

ribus, oppidum aliquod, aut urbem, vel certe pagum, vicum, aut caſtellum fuiſſe, *Solo*, ſive *Solon*, ſive *Solona* vocitatum, ſcriptor ullus memoriæ prodidit. Nam Cicero quidem ſine addito *Solonium* vocat, atque Antio adjungit; ceterum & oppidum hoc nomine fuiſſe (quod Baudrandus colligit) ipſe Cicero non meminit. Fuit quidem *Solonium* Allobrogum olim oppidum Dioni, & *Solonia* regio Galliarum pars inter Aurelianenſem, Bleſenſem, & Bituricenſem Provincias, cujus populi *Solonates*; de quibus inſcriptus apud Gruterum lapis pagina 1095. recenſetur. Num autem ab Solone celeberrimo illo inter ſeptem præcipuos Græciæ ſapientes, nomen Solonius Campus eſt mutuatus? Unde hoc? Divinantis & otioſi nimium eſſet, hæc altius inveſtigare, nedum temere ſic ſtatuere. Quapropter ad alia certiora ſermo procedat.

CAPUT VII.

De Familiis Lanuvinis Romæ illuſtribus.

MULTAS Lanuvium familias, per cives ſuos Romam traductas, populo Romano illuſtres dedit; quæ, cum exinde honoribus Romæ claruerint, antiquæ patriæ ſuæ, unde originem deſumſerunt, decus, ac famam, dum recenſentur, vehementer adaugent. Certe *Cornuficiam*, ſive *Cornificiam* gentem, ab Lanuvio originem deduxiſſe, conſtat ex nummis Q. Cornuficii Auguris atque Imperatoris, quos Joannes Vaillantius exhibet. Ibi namque Juno Soſpita Lanuvina repræſentatur coronam auguri imponens; quod gentem Cornuficiam Lanuvio ortam, ubi Soſpita peculiari

liari adeo cultu colebatur, ſatis oſtendit. Siquidem & aliæ familiæ, quas ex veterum ſcriptorum teſtimonio ab Lanuvio originem duxiſſe liquet, Junonem Soſpitam Lanuvinam in nummis, quos ſuo quemque loco adducemus, & explicabimus, repræſentare conſueverunt. Quemadmodum præ ceteris de Roſcia gente certiſſimum eſt. Itaque Cornuficia, ſeu Cornificia, gens, poſtquam ab Lanuvio Romam translata eſt; quamquam inter plebejas computaretur, Conſulari tamen dignitate aliquando claruit. Quod Cornuficii cives eſsent Romani, tunc quoque cum Lanuvii in antiqua patria degerent, primis ab uſque Romanæ Reipublicæ temporibus, inde patet; quod, poſt Latinum bellum, Lanuvinis omnibus Romana *a* civitas data eſt. Quos inter, Cornuficios præcipuos ac principes numeratos fuiſſe, crediderim; cum auctoritate, atque opibus inter ſuos adeo floruerint, ut Lanuvini municipii pertæſi, Romanæ urbis amplitudinem ad inhabitandum, honoreſque ſummos adipiſcendos quæſierint. Dicta autem eſſe videtur gens *Cornuficia*, a *cornu faciendo*; quemadmodum *beneficus* a *benefaciendo* derivatur. Ceterum, neque ex illa, neque ex aliis familiis, quas recenſuimus hactenus in hoc opere, vel recenſituri ſumus in poſterum, omnium omnino aut ſingulorum originem, aut res geſtas, aut nomina commemorare nobis propoſitum eſt. Hoc enim fieri minime poſſe in tanta temporum longinquitate atque injuria, rerumque vetuſtiſſimarum oblivione, ſanus quiſque pro certo habet. Aliquos igitur tantum ex quaque familia illuſtres viros referimus; eoſque præcipue, quorum res geſtæ vel nummis impreſſis, vel inciſis marmoribus, vel certe Scriptorum chartis conſignatæ ad noſtram uſque ætatem memoria pervenerunt. Porro ex Cornuficia

a *Liv. lib. 8.*

Quinctus Cornuficius Q. F. ſe ſe offert primus, qui præclaris in Romana Republica dignitatibus auctus eſt. Hic enim V. C. A. DC.LXXII. vel III. juxta diverſum temporum calculum, Quæſturam Provincialem ſuſcepit, Quæſtor ſcilicet in Provincia fuit. mox Præturam adminiſtravit, ac vir Prætorius, Ciceronis in Conſulatu *b* fuit competitor. Bello deinde, Pompejum inter & Cæſarem, Civili exorto; Cornuficius, juſſu Cæſaris, cujus partes fuerat ſecutus, Provinciam *c* Syriam obtinuit. Quam tamen minime pacatam ingreſſus, armis ipſe ſubegit, atque pacavit. Exſtincto Cæſare, Cornuficius Proconſul Africam Veterem adminiſtravit; tantaque cum laude geſſit, ut Senatus Conſulto in alterum annum fuerit illi Provincia prorogata. Grave ibidem cum Sextio Civile bellum gerere Cornuficius coactus eſt *d*; cum enim Sextius, a juniore Cæſare ſe in univerſæ Africæ dominationem inductum, diceret; ac proinde, in eam Africæ partem quam *Novam* appellabant, imperium gereret; Cornuficio Veterem adminiſtranti, ut ſibi Provincia cederet, denuntiavit. Cornuficius contra, negare ſane, ſe ea Provincia cuiquam ceſſurum, Senatus injuſſu, quam a Senatu gerendam accepiſſet; quid enim Triumviri Conſtituendæ Reipublicæ, Octavius, Lepidus, atque Antonius, de diviſione Provinciarum ſtatuiſſent, ſibi incompertum omnino eſſe. Graviter, itaque, bello decertatum inter utrumque, illo exitu quem Appianus perſequitur, at noſtri inſtituti hic exponere minime eſt. Porro in hoc bello Cornuficius Imperator a ſuis appellatur; & ipſe ad belli impenſas faciendas, mox denarios cudit, in quibus ſe Imperatorem & Augurem appellavit. Nummus igitur quem primo exhibemus, in antica facie Jovis Hammonis cornutum caput oſten-

b *Ep. l.* 1. *ad Attic.*

c *Ep. Fam.* 19. *lib.* 12.

d *Appian. lib.* 4. *de Bell. Civ.*

ſtendit, ſine litteris; in poſtica, Junonis Soſpitæ Lanuvinæ effigiem, caput pelle & cornibus caprinis protectam, calceis repandis de more; ſiniſtra ſcutum gerentem, cui inſigne fulmen quadriſulcum; dextera vero coronam ex frondibus Auguri capiti imponentem, cum litteris: Q. CORNVFICI AVGVR. IMP. Lituum tenet Augur, ſacerdotii ſui inſigne, longaque in veſte ſtans cernitur. Quæ omnia deſignant, Q. Cornuficium Africæ Veteris fuiſſe Proconſulem. in qua Provincia, ubi Libyæ deſerta loca ſunt & arenæ, templum fuit celeberrimum Jovis *Hammonis*, quod *Arcnarii* Græca lingua ſignificat. De quo fabulæ commentæ *e* ſunt; Jovem, ſcilicet, Libero ſive Baccho filio in Indiam proficiſcenti, atque per Libyæ deſerta & arenoſa loca ſiti cum ſociis arctiſſime laboranti, arietis ſpecie apparuiſſe, eique aquam indicaſſe; quo Liber beneficio obligatus, & ut in cæleſtia ſidera aries collocaretur, impetravit, & Jovi iiſdem in locis templum, *Hammonis* titulo, quod celeberrimum exinde, & oraculis quoque illuſtre factum eſt, conſtruxit. Lanuvinam vero Junonem Cornuficius expreſſit in nummo; quod & Lanuvinus ipſe origine, & Sacrorum Lanuvinæ Junonis Curator, & Augur foret. quod tamen ſacerdotium & Lanuvii & Romæ geſſiſſe illum, non dubitamus; cum Lanuvinis Junonis Soſpitæ templum & Sacra, jam ab ipſis Romanæ gentis primordiis, communia cum Pop. Rom. eſſent. Habuit autem Cornuficius Collegam in Auguratu M. Tullium Ciceronem, quod ipſe Cicero paſſim, in epiſtolis ad Cornuficium datis, teſtatur. Alterum quoque nummum Cornuficius idem percuſſit, cujus in anteriori parte caput eſt Cereris ſpicea corona circumdatum; in poſteriori, Juno Lanuvina eodem prorſus habitu & cultu, quo in primo nummo exhibetur; cum litteris pariter iiſdem:

e *Ap. Hygin.*

Q.

Q. CORNVFICI AVGVR. IMP. Ideo autem Ceres in hoc exprimitur, quia in Africa, Quincti Cornuficii Provincia, hæc dea ſingulari cultu colebatur. quod frugum tutela eſſet, & frumenti, omniſque agricolationis inventrix credita. atque adeo Africa regio, qua parte colitur, frumenti eſſet fertiliſſima, Cereriſque numini maxime devota. De cultu Africanorum in Cererem meminit Tertullianus inquiens *f*: *Ceterum, Africanæ Cereri viduas aſſiſtere, ſcimus.* atque alibi: *Feminas vero Cereris Africanæ, cui etiam & ſponte abdicato matrimonio conſeneſcunt.* Tertius quoque nummus percuſſus a Cornuficio eadem omnino habet, quæ ſecundus; præter quam litteras in averſa parte, quæ de Trajano ſic memorat: IMP. CAES. TRAIAN. AVG. GER. DAC. P. P. REST. ſcilicet: *Imperator Cæſar Trajanus Auguſtus Germanicus Dacicus Pater Patriæ reſtituit.* quod vel de ſacrificiis Lanuvinæ Junonis coram Auguribus peragi ſolitis, quæ jamdiu intermiſſa reſtituerit Trajanus; vel de ipſis nummis idem repræſentantibus, a Cornuficio olim percuſſis, ac ferme deperditis, quos Trajanus ut rurſus cuderentur jubendo, reſtituerit, intelligendum eſt. Sacrificia vero quæ Lanuvinæ Junoni coram Auguribus fiebant, ex ritu antiquiſſimo Aboriginum, Numæque apud Romanos inſtitutione, immolatio capræ ad aram, præſente Augure, fuere. Quartus demum eſt nummus, quem ad Cornuficiam gentem ſpectantem exhibemus, in quo adverſo caput eſt Auguſti Cæſaris laureatum cum litteris: L. CORNIFICIO. C. CENSORINO. N. CELS. II. VIR. In averſo Bos ſine litteris repræſentatur. Hic tamen L. Cornificius, an ille ſit qui cum Sex. Pompejo Conſul eſt factus, V.C. A. IↃCCXVIII. aut XVIIII. res eſt in incerto. Quippe L. Cornificius, de quo nummus, Duumvir

Co-

f *Lib. 2. ad uxorem.*

Coloniæ Nobilis Celſæ in Hiſpania cum Cajo Cenſorino inſcribitur; neque tamen Vir Conſularis, qualis tunc temporis L. alter Cornuficius, Q. Cornuficii, de quo in aliis nummis, frater, ad Duumviratum Coloniæ deſcendiſſe, abſque veterum teſtimonio, dicendus eſt. Utrum autem de hoc Q. Cornuficio Augure loquatur inſcriptus lapis, Romæ apud Sanctum Celſum prope Ælium Pontem repertus, dijudicare non auſim. Nomen *Cornificii*, Prænomen *Quincti*, & munia *Prætoris* atque *Auguris* congruunt; ætas qua vixerit, non memoratur. Ecce illum: *g*

g *Grut. pag.* 303.

CORNIFICIA. Q. F.
CAMERI. Q. CORNIFICIVS
Q. F. FRATER
PR. AVGVR.

Hanc gentem uſque ad Veſpaſiani Imperatoris ætatem Romæ floruiſſe, nomina *L. Cornificii Heraclæ & L. Cornificii Epytynchani e Tribu Succuſſana Juniore*, inſcripta Baſi Domus Veſpaſiani ſacræ teſtantur. Siquidem apud Gruterum in Theſauro Inſcriptionum magno legimus in baſi *h* ſtatuæ, ut puto, Fl. Veſpaſiani Imper. aut Pacis deæ, cui ipſe templum magnificentiſſimum poſuit, Romæ ad Arcum Septimii Severi effoſſa, Reparati Orbis anno quadrageſimo ſeptimo ſupra milleſimum & quingenteſimum:

h *pag.* 239. & 40.

PACI AETERNAE
DOMVS
IMP. VESPASIANI
CAESARIS AVG.
LIBERORVMQ. EIVS
SACRVM
TRIB. SVC. IVNIOR.

Ad

Ad ſiniſtrum autem ejuſdem latus:

DEDIC. XV K. DEC.
L. ANNIO BASSO
C. CAECINA PAETO COS

Ad latus vero dexterum minutiſſimis notis Decuriæ tres Tribulium Succuſſanæ ejuſdem Junioris Tribus deſcriptæ ſunt. In quarum prima Cornificii noſtri, ſcilicet Lucius Cornificius Heracla, & Epytynchanus leguntur. Fuit autem Succuſſana Tribus eadem ac Suburrana, ut Varroni ac Feſto placuit. niſi illam a Succuſſanis populis ad Lirim amnem, a Plinio commemoratis, originem traxiſſe, velis. de quo non pugno. Sed & altera inſcriptio, Romæ, ad Forum Agonale detecta, *Corniſiciam Fauſtinam* memorat in hæc verba; *i*

i *Grut. pag.* 868.

DIS. MANI
CORNIFICIAE
FAVSTINAE. AELIVS
EVPORIAS. SIBI
ARAM. IN. FRONTE
PEDES. X. IN
AGRO. PED. X

Cornificiæ gentis Libertorum aliquot meminere inſcriptiones itidem aliæ ſic: *k*

k *Grut. pag.* 54.

MERCVRIO AVG.
MAG. ANNI V. D. D.
M. MILLONIVS M. L. AVITVS
P. CORNIFICIVS P. P. L. EROS
M. PONTIVS M. L. EROS
P. SVLPICIVS P. L. FELIX.

Quod

Quod autem Publius Cornificius Eros inſcribatur Libertus poſt geminam litteram P. P. ſic, illum *Publiorum* duorum, vel *Popilii* alicujus Cornificii, vel *Perpernæ*, vel *Pupii*, aut *Papii*, aut certe alterius domini, in cujus nomine, vel prænomine, vel agnomine littera illa P. geminata eſſet, Libertum fuiſſe, interpretor: niſi ad Lapidarii mendum in ea in lapide geminanda nota, aut ad exſcribentium errorem malis confugere. Legitur *l* quoque apud Gruterum *Cornificia Fauſtillæ Liberta Euporia*. Denique & *Cornificianum Libertum* in Cæſaris familiam cooptatum, ſcilicet ex Cornificiorum domo, (id enim ſonat *Cornificianus*) apud eumdem bis legimus *m*. Nam in urna lapidea ollarum quatuor, ollæ ſecundæ locus inſcribitur:

l *pag.* 971.

m *pag.* 617.

MAGNIVS T. L.
HILARIO FRATER
PHOTI. CAESAR. AVG. L.
CORNIFICIAN

Et pagina inſequenti, inſcriptione undecima:

T. MAGNIVS T. L.
HILARIO FRATER
THEONI CAESARIS L.
CORNIFICIAN - - -

Mettiam quoque gentem, Romæ illuſtrem, Lanuvio exortam fuiſſe, percuſſi nummi, in quibus Junonis Soſpitæ, & Lanuvini Draconis ſimulacra exprimuntur, neminem dubitare jam ſinunt. *Mettia* autem gens eadem ac *Metia* fuiſſe videtur. Porro *Metius* prænomen quoque aliquando apud Romanos fuit; ſiquidem apud Livium & *Metium Geminium* & *Metium Octavium* legimus. quamquam prænomen idem,

(quod & aliis plurimis accidit) pro gentilitio nomine fuerit uſurpatum. Quatuor ex hac gente nummos potiſſimum Vaillantius refert. & primum quidem, in cujus anteriori facie caput eſt Julii Cæſaris cum inſcriptione IMPER. CAESAR; in poſteriori Venus Genitrix, ſive Victrix, ſuccincta, ſtans, manu dextera alatam Victoriam tenens; ſiniſtra tranſverſam haſtam e quibuſdam quaſi globulis compactam ſuſtentans; cubito clypeo terreſtri globo innixo; & in area nummi littera A. cum inſcriptione M. METTIVS. Quæ omnia Marcum Mettium Quæſtorem Julii Cæſaris Imperatoris fuiſse, innuunt, atque in ejus gratiam, prout a Senatu fuerat decretum, nummos cum ipſius Cæſaris imagine ipſum percuſſiſse; Veneris quoque *Genitricis* ſive *Victricis* effigiem inſculpſiſse; quod ab Venere per Æneam, atque Aſcanium, Cæſares Julium atque inde Auguſtum originem traxiſse adulatrices fabulæ confinxiſsent. Victricis vero inſignia, per eam adjutricem, ab Julio Cæſare de Pompejo ceteriſque hoſtibus atque inimicis victoriam relatam fuiſse, declarabant. In altero nummo Julii pariter Cæſaris caput a fronte cernimus cum notis CAESAR DICT. QVART. a tergo eſt Juno Soſpita Lanuvina bigis decurrentibus invecta, haſtamque vibratura, & ſcutulum tenens, cum litteris M. METTIVS. Hic itaque Dictaturæ Julii Cæſaris annus quartus deſignatur, qui in Urbis Conditæ incidit ſeptingenteſimum octavum aut nonum. Licet enim Julius Cæſar Dictator Perpetuus & inſcriberetur & foret; novam tamen Dictaturam, majoris apud populum invidiæ devitandæ cauſſa, ſingulis annis inire veluti, ſimulabat. Hanc autem quartam iniiſſe perhibent, cum victor ex Africa rediviſſet; licet non anni a nobis modo ſignati principio. Non enim Dictatu-

ctatura, ſicut ceteri Magiſtratus, initio anni ſuſcipiebatur; ſed quocumque anni tempore, prout res poſceret; quippe extra ordinem Magiſtratus erat. Cum vero in bigis atque quadrigis denarii argentei ſignari conſueſſent; in poteſtate Monetarii ſive Monetalis Triumviri & Magiſtratus fuit, deum, ſive deam, ſive tandem ſemideum, aut heroa, in iiſdem ut cuderetur, imperare. Marcus itaque Mettius originem ſuæ gentis ab Lanuvio fluxiſſe, palam facturus, in hoc nummo Junonem Soſpitam Lanuvinorum Tutelam expreſſit; quam illam ipſam Lanuvinam Junonem eſſe, nummi duo quos huic adnectimus, magis confirmant. Tertius enim in noſtro hoc ordine Mettiæ gentis nummus anticam partem Junonis Soſpitæ capite pelle caprina amicto, pone quod Lanuvinum Draconem cernimus, ſignatam refert; qualem, commodum, fuiſſe Lanuvinæ Junonis figuram ex probatiſſimis ſcriptoribus, Cicerone præſertim, in ſuperioribus fuſe docuimus *n*. Unum hic illis addimus; Soſpitam Lanuvinam Junonem etiam *Februatam* dictam aliquando fuiſſe, *o* perhiberi; quod eo die quo Lupercalia agebantur, duæ mactarentur capræ, & mulieres *februarentur*, h. e. *purgarentur*, ſive *expiarentur* (nam *Februa Romani dixere Piamina Patres*) a Lupercis *p* Junonis amiculo, ideſt pelle caprina. Ceterum quidam ſuſpicati ſunt, idcirco a Marco Mettio Quæſtore hunc nummum, ſub Julio Cæſare Imperatore ac Dictatore, percuſſum, Junonis Soſpitæ Lanuvinæ imaginem repræſentaſſe; quod novam Julius Coloniam Lanuvium deduxiſſet; ut ex Frontino de Coloniis accepimus, & nos opportune commemoravimus. Quidquid tamen de hoc ſit, certe nummus alius, quem hic explicabimus, gentem Mettiam Lanuvio extra omnem dubii aleam aſſerit, & confir-

n *Cap. de templo Junon.*

o *Vaillant. in num. Gen. Mettiæ.*

p *Ovid. 2. Faſt.*

mat. Siquidem in eo adverſo caput virginis vitta circumdatum cernimus, in averſo autem integram puellæ ſtantis figuram, ante quam aſſurgit in gyros ſerpens ab ea paſcendus. Ubi planiſſime ritus Lanuvini Draconis exhibetur a virginibus quotannis paſcendi; de quo nos, ubi de Junonis templo, fuſiſſime diſputavimus. Cum autem Lucius Roſcius Fabatus ex gente Roſcia certo certius Lanuvina, ſerpentem eumdem a virgine paſtum in nummo, Lanuvium, patriam ſuam teſtaturus, exhibuerit; hoc idem eadem de cauſſa ab Marco Mettio factum, nemo prudenter negare poterit.

Metiæ ſive Mettiæ gentis, ſiquidem una atque eadem Vaillantio videtur gens eſſe, nomina complura in Gruterianis inſcriptionibus paſſim occurrunt, quæ tamen num ad Mettiam gentem Lanuvinam ſpectent, eſt prorſus incertum. Placet nihilominus eorumdem nudum hic indicem recitare: quorum ſi quis monumenta velit inſpicere, ipſum profecto Gruterum *q* adeat, neceſſe erit. Etenim in infinitum plane opus noſtrum, ceteroquin longum, excreſceret; ſi omnia hæc incertiſſima ſectari ac ſingillatim exponere, in iiſque ſingulis explicandis immorari vellemus. Itaque ibidem memorantur *C. Metius C. F. Celer. L. Metius Augurius. M. Metius Oneſimus. Q. Metius Secundus. Mettia Januaria Repentina & Sueſia. Mettius Damas. C. Mettius Germanus cum Libertis Hermete ac Parato. C. Mettius Caii Filius Stellatina Tribu Rufus Foronianus & Phoronianus. L. Mettius T. Libertus Anteros. M. Mettius Epaphroditus Grammaticus Græcus. M. Mettius Germanus. M. Mettius Oneſimus. P. Mettius Alexander. Publius Mettius T. L. Malchio. Q. Mettius P. F. Q. Mettius T. L. Primus.* Denique *Spurius Mettius Zetus*, cujus inſcriptus lapis Lucæ in Hetruria effoſſus ſic habet: *r*

q *Tom. 4. in indic. nomin. prop. vir. ac mul.*

r *Grut. pag. 22. n. 4.*

SP.

SP. METTIVS
ZETVS
IOVI SABAZIO
D. L. D.
L. D. D. D.

Papiam vero gentem, licet plebejam, Romæ tamen illuſtrem, non unum teſtimonium, ab Lanuvio primam originem traxiſſe, nobis confirmat. Siquidem Lanuvinæ urbis monumenta complura a Papiis in nummorum percuſſione expoſita ſunt, hujuſce profitendæ originis cauſſa. quæ ſingula dabimus & explicabimus. Itaque gens Papia plebeja Romæ fuiſſe, ex illo ſatis deprehenditur, quod Papius Tribunus plebis legem tulerit de Veſtalium ſortitione; poſt Pontificatum Maximum plebi communicatum, circa V.C. annum D., de qua lege meminit Aulus *ſ* Gellius. Nomen Papiæ a *pappo* derivatum videtur; *pappus* autem, Græca præcipue lingua, *αππος* eſt paternus, ſive maternus. Gentis cognomina in nummis duo: *Celſus*, ab alto corporis habitu, & *Mutilus*, ex alicujus forte membri mutilatione. Septem gentis hujus nummos hic damus & explicamus; ex quibus illuſtres ejuſdem viros fas erit cognoviſſe. Ac primus quidem, hinc Junonis Soſpitæ Lanuvinæ caput pelle caprina protectum exhibet, pone quod tabella, in qua litteræ PAPI. inde gryphus currens, & parva, ut videtur, ara cernitur cum notis L. PAPI. Secundus idem Junonis caput exhibet, pone quod aſtrum; a tergo autem gryphum eumdem cum nota, veluti gamma græcum inverſum. Porro prænomen Lucii, ad L. Papium ſpectare denarium innuit, quem ſuſpicamur filium fuiſſe C. Papii, Tribunatum Plebis gerentis, Urbis Conditæ anno 698. aut 9., ex tabel-

ſ *Lib.* 1. *c.* 12.

bella, in qua Papia lex a patre lata, *ne quis peregrinus in Urbe esset*. Igitur tabella post Junonis caput cum litteris PAPI Tribunatum C. Papii patris a L. Papio filio Quæstore sic expressum significat; gryphus autem & ara Præturam Urbanam. namque Prætoris erat munus Ludos Apollinares celebrare; Apollini vero gryphus sacer fuit; & ara in nummo expressa Sacrificia iisdem habita Ludis ostendit. Caput vero Junonis Sospitæ Lanuvinæ caprina pelle protectum Papiæ gentis ex Lanuvina urbe originem in utroque nummo confirmat. Quod & expressius nummus tertius declarat, in quo caput Victoriæ, pectore tenus cum alis, & in aversa parte virgo Lanuvina escam serpenti porrigens cernitur cum litteris L. PAPIVS CELSVS. Hæc illa est virgo, *in cujus palmis ipsa canistra tremunt*, Propertio teste, *t*

t vid. sup. de templ. Junon. Sosp. Lanuv.

Jejuni serpentis honos, cum pabula poscit
Annua, & ex ima sibila torquet humo.

Victoriæ vero effigies, hanc veluti deam Lanuvii, Papiorum in patria, cultam, quemadmodum Romæ, fuisse, indicat. Nummum quartum Mercurius alato petaso tectus ornat, ex adverso; pone quem caduceus. Cithara vero aversam nummi partem implet, cum litteris L. PAPI. Quod alterum videtur Lanuvii cultum numen, a L. Papio ad originem pariter suam ex illa urbe indicandam expressum. in qua deus hic templum, alia inter numina, habuisse videtur. Mercurius autem, quod omnes norunt, a mercibus curandis dictus est. galero ornatus pingitur, tum quod negotiatorum fautor, eorum fraudes pileo veluti protegeret; tum maxime, quod deorum nuntius in itineribus fere semper versaretur; galerus autem iter facientibus maxime necessarius. Ceterum alæ velocitatem, ac pernicitatem summam, avium instar, designant. Caduceus ejusdem insigne: tum quod virga

ga viatores utantur; tum quod virga litigantium controverſias dirimeret, eoſque in concordiam adduceret; quod conjuncti utrimque ſerpentes deſignabant. ajunt enim illos depoſito veneno tunc demum coire; denique quod mercatorum deus, illis modo compendia, diſpendia modo tribuens, nunc ſceptro, nunc vulnere afficeret. Apud inferos vero utebatur Mercurius virga ad ſeparandas impiorum a piis animas. Teſtis inter ceteros Horatius ad Mercurium: *u*

u *Od.10. l.1.*

Tu pias lætis animas reponis
Sedibus: virgaque levem coerces
Aurea turbam, ſuperis deorum
Gratus, & imis.

& alibi: *x*

x *Od.24. l.1.*

Non vanæ redeat ſanguis imagini;
Quam virga ſemel horrida,
Non lenis precibus fata recludere,
Nigro compulerit Mercurius gregi.

Cithara tandem Mercurii inſigne potiſſimum, de quo Horatius: *y*

y *Od.10. l.1.*

Te canam magni Jovis, & deorum
Nuntium, curvæque lyræ parentem.

& idem alibi: *z*

z *Od.11. l.3.*

Mercuri (nam te docilis magiſtro
Movit Amphion lapides canendo)
Tuque teſtudo reſonare ſeptem
Callida nervis.

In quinto nummo Papiæ gentis, caput rurſum Soſpitæ Lanuvinæ Junonis caprina pelle amictum, in anteriori facie exhibetur; at in poſteriori, lupa ore accenſum fomitem geſtans, contra quam aquila deductis expanſiſque alis conſiſtit; cum litteris PAPIVS CELSVS III VR. Quæ pariter ſexti nummi poſterior eſt facies; cum tamen in anteriori, dei cujuſdam,

dam, ſpecie ſenis, laureatum caput, pone quod trophæum eſt, exprimatur, cum notis TRIVMPVS. De quo ante alia dicendum, Lanuvii ita coli *Triumphum*, veluti peculiarem aliquem deum conſueviſſe; quemadmodum itidem & Romæ Victoria, Pax, Fides, & alia hujuſmodi numina colebantur. Lupa vero cum accenſo fomite, & aquila ſtans ex adverſo diductis alis, vetuſtiſſima quædam Latinorum monumenta ſunt. Lanuvii ne an Lavinii, indicabit Dionyſius libro Romanarum Antiquitatum primo. Ait enim, in foro Lavinienſium æreas horum animalium effigies aſſervatas longiſſimo tempore, eam ob cauſſam; quod dum Lavinium condebatur, oblata Trojanis fuerint hæc prodigia. In nemore juxta novam urbem lupus aridum fomitem congregavit; quem advolans aquila ingenti alarum ventilatione excitavit in flammas: vulpes contra, cauda in proximum flumen imbuta, eum ignem aſpergendo conata exſtinguere. iis itaque rurſum accendentibus, hac iterum & ſæpius reſtinguente, flammæ denique prævaluere; & lupa atque aquila victrices vulpem, irrito tandem conatu victam, dimiſerunt. Quo viſo, Æneam dixiſſe ferebant, illuſtrem quidem nobilemque & mirandam futuram eam Coloniam; ceterum ipſis incrementis invidioſam & permoleſtam vicinis fore; nec adverſarios eidem in longum tempus defuturos. quos tamen omnes tandem erat triumphatura. In æternam cujus rei memoriam, ipſa ænea animalia, lupam ſcilicet accenſum in ore fomitem gerentem, & aquilam expanſis alis aerem ventilantem, in foro cives exhibuere. Quæ tamen omnia certo certius ad *Lavinii* non *Lanuvii* inſtitutionem & conditores pertinent. Lavinium enim, non Lanuvium ab Ænea conditum. Lavinium avia urbis Romæ & mater Albæ Longæ, ac

pro-

proinde Romani imperii ſuper omnes terrarum orbis gentes prævalituri origo; quod & Dionyſius diſertis explicat verbis. Cur autem L. Papius Celſus Triumvir hæc in gentis ſuæ nummis monumenta inſculpi voluerit, obſcurum hinc maxime redditur; quod Lanuvinum ipſum cum ſua gente, ex aliis nummis hactenus explicatis, fuiſſe conſtat. Num lupam & aquilam Lavinienſia monumenta Papius in nummis appoſuit, quod Lanuvium patria ſua in agro Laurenti ſitum eſſet; *Laurentum* autem idem ac *Lavinium* & *Lauro-Lavinium* fuit? Ita crediderim; nec nodo planior alia occurrit ſolutio. Sed quare & *Triumpum*, ſcilicet *Triumphum* in ſuis nummis Papius expreſſit? Certe in tota Papiorum familia nihil inſigne legimus, unde Victoria & Triumphus iis tribui poſſit. Itaque ſub *Triumphi* nomine Bacchum coli arbitramur, qui a Græcis Θρίαμβος, h.e. *Triumphus* appellabatur, Varrone (*a*) teſte: eo quod Bacchus triumphi primus inventor fuerit, primuſque triumphum duxerit, & fecerit trophæum triumphi inſigne. trophæo namque de ſpoliis hoſtium erecto, tum demum triumphum Imperatores obtinuere. Quando autem Bacchus ſub *Triumpi* nomine repræſentatur, non hedera, ut alias, ſed lauro caput coronat; laurus enim triumphalis eſt arbor, juxta illud Ovidii: *b*

Ite triumphales circum mea tempora lauri.

Septimus denique gentis Papiæ denarius caput exhibet Herculis, pelle leonina, & barba inſigne, cum clava ad lævum humerum, & notis EX S. C. Huic in averſa parte eſt elephas, cujus ſupra verticem L. APRONI. IMP. ad pedes M. MVTIL. PR. P. litteræ inciſæ ſunt. Idcirco igitur ad Papiam gentem nummum hunc revocamus, quod Papiorum tantum *Mutilus* cognomen fuerit. Nummi proinde auctor eſt

a *L. L. lib. 5.*

b *loc. indicare non eſt neceſſe.*

M. Papius Mutilus, qui cum ſuffectus Conſul fuiſſet ex Calendis Juliis, ab Urbe Condita DCCLXI. vel II. cum Quinto Poppœo ſecundum, Germaniam Inferiorem Legatus Tiberii Pro-Prætore adminiſtravit V. C. A. DCCLXVII. aut VIII. quo L. Apronius Germanici Legatus ob res bene geſtas in Germania ab exercitu Imperator appellatus eſt, eique Senatus ornamenta triumphalia decrevit. De quo Tacitus: *c* *Decreta eo anno*, inquit, *triumphalia inſignia A. Cecinæ, L. Apronio, C. Silio, ob res cum Germanico geſtas*. M. autem Mutilus ex Senatus Conſulto denarios L. Apronio, cum titulo Imperatoris, percuſſit. In iis, anteriore parte, Herculem repræſentavit, ob cultum quo illum Germani, eodem Tacito teſte, proſequebantur; *d* elephantum in poſteriori, quod is Legionis quintæ inſigne erat, a qua, in Inferiore Germania ſtationem habente, L. Apronius cum maxime *Imperator* appellatus fuerat. quod Dio & Tacitus tradidere. Cur autem Legionis Quintæ elephas inſigne fuerit, Appianus docet: ait enim *e*: *Cæſariani in tantum receperunt animos, ut Quintani* (ſcilic. milites Legionis Quintæ) *elephantis ſe opponi depoſcerent; eoque impetrato, egregie vincerent: unde hodieque ejus Legionis elephantes ſunt inſignia*.

c *Annal. l. 1.*

d *De Morib. Germanor.*

e *Lib. 2. Civ. Bell.*

Profecto *Roſciam* gentem & nummi & Ciceronis auctoritas Lanuvio extra omnem dubii aleam aſſeruere. Et ad nummos quidem quod attinet; ſingularis eſt ille in quo caput Junonis Lanuvinæ pelle caprina protectum cernitur, cum litteris L. ROSCI. at in averſo, virgo eſcam ſerpenti ſe ſe in gyros erigenti præbens, cum nota FABATI. Quæ notiſſima Lanuvinæ Junonis Soſpitæ inſignia eſſe, clariſſime conſtat, quibus L. Roſcius Fabatus Lanuvium ſibi patriam fuiſſe ſignificavit. Quod diſertis verbis Cicero De Divinatione declaravit; ubi *Quid*, *f* inquit, *amores*

f *Cic. l. 1. de Divinat.*

et de-

& deliciæ tuæ, Roſcius? num aut ipſe, aut pro eo Lanuvium totum mentiebatur? qui cum eſſet in cunabulis, educareturque in Solonio (qui eſt campus agri Lanuvini) noctu lumine appoſito, experrecta nutrix animadvertit puerum dormientem circumplicatum ſerpentis amplexu. quo adſpectu exterrita, clamorem ſuſtulit. Pater autem Roſcii ad haruſpices retulit. qui reſponderunt, nihil illo puero clarius, nihil nobilius fore. Poſt quæ ſtatim ſubjungit Cicero: *Atque hanc ſpeciem Praxiteles cælavit argento* (quod & de nummo aliquo intelligi poteſt) *& noſter expreſſit Archias verſibus.* Fuit autem gens Roſcia Romæ plebeja, quod ex eo conſtat, ſcilicet quod L. Roſcius Otho Tribunus Pleb. V. C. ann. IↃC LXXXVI. aut VII. legem tulit, ut equitibus Romanis in theatro quatuordecim gradus proximi aſſignarentur. De qua Horatius: g

Roſcia dic, ſodes, melior Lex, an puerorum
Nænia, quæ regnum recte facientibus offert,
Et maribus Curiis & decantata Camillis?

g *Ep.* 1. *lib.* 1. *& Epitom. Liv. l.* 99.

Plurimæ fuerunt hujus gentis familiæ; quas inter, *Amerina*, quæ ſcilicet Ameriæ in Umbria, Ciceronis ætate florebat; ex qua Sextum Roſcium Amerinum fuiſſe ſcimus; pro quo ab parricidii crimine vindicando luculenta Ciceronis exſtat oratio; quam tamen Lanuvio oriundam ſcimus; cognomen *Fabati* a *fabis*, ut *Ciceronis* a *cicere*, & *Lentuli* a *lentibus*, derivatum habuit. Hunc L. Roſcium, veriſimile eſt, adeptum fuiſſe Tribunatum Pleb. an. V. C. DCCI. vel II. aut ad ſummum III. nam Prætor Urban. factus eſt IIII. vel V. ſtudio quidem & favore C. Cæſaris, cujus fuerat in Gallia Quæſtor. *h* Ceterum Roſcius ille quem in Solonio agri Lanuvini campo fuiſſe educatum, didicimus ex Cicerone, ipſe idem eſt Q. Roſcius Comœdus, pro quo idem Cicero orationem ſcripſit, ac dixit, ut eum a C. Fannii Chereæ cujuſdam impro-

h *vid. Dionem l.* 41.

biſſimi nebulonis calumnia, de ſibi debita pecunia, vindicaret. At de hoc Roſcio placet infra, ubi de claris viris Lanuvinis ſingillatim narrabimus, fuſius memorare. Fuit inter claras Romæ gentes etiam gens *Thoria* Lanuvina; cujus duos ex Vaillantio nummos hic damus; alterum quidem in quo hæ notæ I.S.M.R. ideſt: *Juno Soſpita Magna Regina*, cum capite Junonis ipſius, pelle caprina circumdato; retro autem Taurus ſolutus, cum litteris L. THORIVS BALBVS Q. ſcilicet *Quæſtor*. alterum vero hujus gentis nummum Græcas has litteras caput Soſpitæ circumdantes legimus exhibentem ΟΜΟΝΟΙΑ ΝΙΚΟΜΗ, & in averſa parte ΕΠΙ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ ΘΩΡΙΟΥ. cum apri figura. Porro Thoriam gentem plebejam Romæ fuiſſe denotat Lex Agraria per Spurium Thorium lata V. C. An. DCXLVI. aut VII. Derivatum nomen credimus a Græca voce Θεωρὸς, quod eſt Latinis *Inſpector*, *Spectator*, *Speculator*. Cognomen *Balbus*, a linguæ defectu. Porro Lucius Thorius Balbus, cujus primus ex huc allatis nummis meminit, patrem habuit illum ipſum Spurium Thorium Balbum, qui Legem Agrariam tulit tribunus plebis; ne ex Lege Sempronia dividerentur agri publici, ſed poſſeſſoribus relinquerentur in poſterum; ſive tributo, quod non in ærarium publicum redigendum eſſet, ſed plebi agros non habenti dividerentur. Hac lege, agri fiebant publici: ideo L. Thorius Quæſtor factus V. C. DCLXXIII. vel IIII. in memoriam Legis a patre latæ Bovem decurrentem & ſolutum in denario expreſſit; utpote jure publico utentem. Neque enim Tauri in nummo repræſentationem ad *Thorii* nomen reſpicere putamus; cum aliud *Taurus*, aliud *Thorius* cum *h.* aſpiratione ſit; & originem ex Græco fonte congruentem magis jam protulerimus. In anteriore vero utriuſque denarii parte imago Ju-

nonis

nonis Soſpitæ Magnæ Reginæ Lanuvinæ expreſſa eſt, ad Thoriæ gentis Lanuvium patriam indicandam. quod diſerte Cicero his *i* verbis: *L. Thorius Balbus fuit Lanuvinus: quem meminiſſe tu non potes. Is ita vivebat, ut nulla tam exquiſita poſſit inveniri voluptas, qua non abundaret. Erat & cupidus voluptatum, & cujuſvis generis ejus intelligens & copioſus; ita non ſuperſtitioſus, ut illa plurima in ſua patria ſacrificia & fana contemneret: ita non timidus ad mortem, ut in acie ſit ob Rempub. interfectus. Cupiditates non Epicuri diviſione finiebat, ſed ſua ſatietate. habebat tamen rationem valetudinis. utebatur iis exercitationibus, ut ad cœnam & eſuriens & ſitiens veniret: eo cibo, qui & ſuaviſſimus eſſet, & idem facillimus ad concoquendum: vino ad voluptatem, & ne noceret. cetera illa adhibebat quibus demtis negat ſe Epicurus intelligere quid ſit bonum. aberat omnis dolor. qui ſi adeſſet, nec molliter ferret, & tamen medicis pluſquam philoſophis uteretur. color egregius, integra valetudo, ſumma gratia, vita denique conferta voluptatum omnium varietate. Hunc vero beatum oratio quidem veſtra ſic cogitat ..... M. Regulum, cum vigiliis & fame cruciaretur, clamat Virtus, beatiorem fuiſſe, quam potantem in roſa Thorium.* Ceterum Tribunatum plebis aſſecutus fuerat V. C. DCLXVIII. aut VIIII. & ad Præturam, pariter ut pater, pervenit. De illo, filioque ejus, & conſanguineis meminiſſe, credimus inſcriptum lapidem in hæc verba:

i *Lib.* 2. *de Finib.*

MEMORIAE AETERNAE
M. THORI M. F. PRIMIGENI SACERDOTIS
IVNONI REGINAE SISPITAE ET
THORIAE BALBILLAE FILIIS PIISSIMIS FECIT
SEX. THORIVS L. F. BALBVS. IN FRONTE
PED. XIV IN AGR. PED. XVII.

Jam vero ſecundi Thoriæ gentis nummi Græcæ litteræ neque ad hunc L. Thorium Balbum, neque ad patrem

trem ejus Sp. Thorium pertinere posse videntur; cum neuter ad Consulatum pervenerit. Nam de L. Thorio Balbo scripsit Tullius *k* paucas ei centurias ad Consulatum defuisse. Itaque cum illæ litteræ ΕΠΙ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ ΘΩΡΙΟΥ scilicet *de Proconsulis Thorii* (supple, *auctoritate* aut *sententia*) Proconsulem Thorium commemorent; dicendum est, de alio quodam Thorio illas mentionem facere; quem tamen hujus gentis Lanuvinæ fuisse, caput Junonis Sospitæ Lanuvinæ in antica nummi parte expressum satis ostendit. Ceterum alias Græcas voces ΟΜΟΝΟΙΑ ΝΙΚΟΜΗ. *consensu Senatus & Populi*, interpretor. quasi Thorius, vel certe Ædilis ejus Monetarius, qui nummum cudi jussit, significare voluerit, percussum fuisse hunc nummum de Proconsulis Thorii auctoritate, consensu Senatus & Populi pariter accedente. Aprum tandem, qui in eodem averso exprimitur, ad Herculeum illum Calydonii apri laborem respicere, existimo: quis enim Herculis cultum in Urbe frequentissimum non satis noverit? Utrum autem ex hac Thoria gente Lanuvina fuerit L. Thorius Proconsul Nicomediensium sub Imperatore Gordiano Juniore, quod meminit Arduinus *l*, statuere non ausim. Ad hanc quidem Thoriam gentem Lanuvinam spectasse, existimaverim Thoriam Auli filiam L. Albii Rufi Scribæ Ædilitii aviam, cujus meminit pulchrum marmor Cynthiani (qui locus olim agri Lanuvini pars fuit) in hortis Cappucinorum prostans, quod nuper legimus in hæc verba:

k *Cic. in Brut.*

l *de num. antiq. f. mihi* 359.

CN. RICINIO. CN. F. PVP. PERSAE. SCR.
TR. MIL. AVONCVLO
POMPONIAE. L. F. RVFAE. MATRI
THORIAE. A. F. AVIAE
L. ALBIVS. L. F. FAB. RVFVS. SCR. AED
QVINTIAE. L. F. RVFAE. VXSORI

Fuit

Fuit etiam Lanuvii gens *Colea* ſive *Coleorum*; ad cujus nomen alludens facete Cicero inquit: *At honeſti* m *Colei Lanuvini, Cliternini non honeſti*. In quo joco quid Tullius occulte voluerit innuere, Græce ſcientibus patebit; neque enim nos in re admodum lubrica, is, qui religioſum virum ſcribentem pudor maxime decet, immorari permittit. Hoc tantum notamus, *Lanuvium*, & *Lanuvinus* voces a *lana*, ſive *lanugine*, ſive *pube*, derivatas eſſe, vel ex hoc Ciceronis loco probe intellecto, confirmari poſſe; ut libri hujus initio obiter ſignificavimus.

m *Ep.* 22. *Famil. l.* 9.

Ceterum, & gentem *Plautiam*, quam & *Plotiam* & *Plutiam* pariter appellatam, legimus, non immerito Lanuvinis familiis accenſeri poſſe, quis credat. Siquidem ex duodecim hujus gentis nummis, quos Joannes Vaillantius *n* retulit atque explicavit, primus in anteriori facie Junonem Soſpitam cum caprina pelle repræſentat; a tergo autem ſellam curulem cum corona, atque ſpicas duas, hinc atque hinc, cum notis M. PLAVTI. L. F. HYPSAEVS, & infra AED. CVR. Cum tamen non ſoli ex Lanuvinis familiis orti Soſpitæ caput in nummis excudere conſueverint; verum & illi qui, aliunde quam ab Lanuvio deducta origine, ſupremis Magiſtratibus functi, Junoni ſacra feciſſent; hinc incertum eſt nummi hujus unicum teſtimonium ad gentem Plautiam Lanuvio aſſerendam. Cum potius eam Tiburtinam fuiſſe, vetuſtiſſimum ac magnificentiſſimum in agro Tiburtino Plautiorum monumentum cum inſcriptis adhuc ſuperſtitibus lapidibus glorioſiſſimis, innuere videatur. Idem prorſus de nummo *Corneliæ* gentis dicendum, qui, in ordine a Vaillantio recenſitorum, decimus octavus eſt. in cujus anteriori quidem facie Juno Soſpita de more cernitur cum litteris CAV-

n *Lib. de Fam. Rom. tom.* 2.

DI-

DINVS; in posteriori vero, sella curulis, Prætorum insigne; super quam corona, quæ Junoni Sospitæ, in Sacris Lanuvinis cum populo Rom. communibus, a Magistratu offerebatur. Cum litteris C. PAPIRI. C. F. MASO AED. CVR. L. LENT. L. F.

Idem dixeris de *Pompeja*, quam, etsi Pompejis oppido Campaniæ, (quod Hercules victor ex Hispania reversus condidisse traditur, Solino teste) exortam, communiter inter scriptores conveniat; inter nummos Pompejorum a Vaillantio relatos unum cum Junonis Sospitæ capite, & Lanuvino dracone signatum, percussisse, deprehendimus. Is ita habet: CN. POMPEIVS Q. F. Caput Junonis Sospitæ pelle caprina amictum. Q. N. RVFVS. A tergo, serpens in gyros erectus in corona. Quæ omnia, Pompejum hunc, quem scimus Consulem suffectum fuisse, Junoni Sospitæ Lanuvinæ, ejusque draconi, ineundo Magistratum, sacrificasse, designant; coronamque, intra quam serpens exsculptus apparet, eidem Junoni Lanuvii obtulisse. Ita pariter de *Popillia*. Nam M. Popillius M. F. Lænas nummum percussit, qui inter relatos hujus gentis a Vaillantio, tertius est; in eoque hæc incisa LAENAS. Caput Junonis pelle caprina amictum. A tergo: M. POPILLI. M. F. Juno Sospita pelle caprina ornata stans hastam vibratura, cum scutulo, & ante illam serpens in gyros circumvolutus. quod communiter nihil aliud quam sacrificium deæ Junoni Lanuvinæ solemne pro Republica, ut moris erat, initio Consulatus a M. Popillio factum, significare, scriptores prodidere. Sic *Procilia*, cujus duo memoratum apud auctorem visuntur nummi; in quorum quidem altero cernere est caput Jovis barbatum, & laurea coronatum; pone quod nota S.C.

ex

ex averſo latere L. PROCILI. F. Junonem Lanuvinam, caprotina pelle ornatam, haſtam vibraturam, cum ſcuto & ſerpente pro pedibus. in altero vero, caput Junonis ſimiliter caprina tectum pelle conſpicitur, ad quod litteræ S. C. in averſa parte Juno pariter in bigis eodem ornatu, & ſerpente ante bigas comite. Quamquam enim Fulvius Urſinus, ob hæc toties repetita Junonis Soſpitæ Lanuvinæ inſignia, Prociliam gentem Lanuvio originem traxiſſe, fuerit auguratus; eæ litteræ nihilominus S. C. in utroque nummo expreſſæ Urſini ſententiæ obſtare videntur. Siquidem nummos Senatus Conſulto percuſſos, hæ ſatis indicant, ob ſacrificium a Procilio, dum Conſul deſignatus Magiſtratum initurus eſſet, pro Republica publice Lanuvii factum. Quæ tamen ratio tanta profecto non eſt, ut Lucius Procilius & ex Senatus Conſulto nummos percutere, & in iis patria Junonis inſignia exprimere ſimul non potuerit.

In nummis quoque gentis *Antoniæ*, quos auctor idem Vaillantius quatuor ſupra centum recenſuit, primus ordine refert caput Junonis Soſpitæ Lanuvinæ conſueto amictu; pone quod tripus eſt. averſus autem Junonem ipſam Lanuvinam ſtantem ſolitis inſignibus, caprinæ pellis, ſcutuli, calceorum, & ſerpentis, diſtinctam, haſtamque vibraturam exhibet. Nummum ad M. Antonium Triumviri patrem referunt. Caput autem Junonis Soſpitæ, & ipſa ſpiculum vibratura in averſa nummi parte, ad Lupercalia feſta pertinent. hæc die XI. Februarii celebrabantur; quem *Februatum* appellabant, ideſt *Purgamentum*; & ab expiationibus nomen habet. Luſtratione tunc facta, dicata erant Junoni Lanuvinæ, quæ caprina pelle caput amictum habebat, & ſacerdotes *Luperci* dicti, pariter amiculo Junonis caprino ornati, *februabant*,

h. e. *purgabant* feminas; quare appoſita eſt ſella matronalis in denario; ut & tripus, ad ſignificanda ſacra, quæ ante erant peragenda. Itaque M. Antonius Triumviri pater, quod, inter alios Prætores, ea ſacra Junoni Lanuvinæ indixiſſet, ejuſdem inſignia in denariis exhibere voluit.

Sic in nummo gentis *Æmiliæ*, qui a Vaillantio in ordine ſextus-decimus numeratur, caput Junonis cum litteris I. S. M. R. *Juno Soſpita Magna Regina*, cum ſella curuli in averſa parte, & litteris S. C. M. LEPID. M. F. TI. SEMP. P. F. GRAC. ludos Megaleſios in Junonis honorem a Prætoribus editos, (quorum unus M. hic Æmilius Lepidus) plane ſignificat. Hi ludi pridie Non. April. celebrari ſolebant, per ſex dies. & nummus in eadem gente Æmilia ordine primus & quadrageſimus ad L. Æmilium Regillum pertinens, in quo pariter caput Junonis caprina pelle amictum cum litteris REGILLVS; ex averſa parte L. AIMILI M. F. PR. P. cum figura togata in quadrigis triumphalibus, dextera ſceptrum cum aquila, ſiniſtra habenas regente; triumphi diem, quo Lucius Æmilius Regillus Marci filius Pro-Prætore Romæ triumphavit, deſignare videtur. ſcilicet Kalendas Februarias; qui dies & menſis Junoni Soſpitæ ſacer erat. menſis quidem ob ludos *Lupercalia*, quibus a Lupercis mulieres februabantur, h. e. purgabantur, unde Februa Romani dixere piamina Patres; dies vero, quia *o*

o Ovid. 2. Faſt.

Principio menſis Phrygiæ contermina matri
Soſpita delubris dicitur aucta novis.

Profecto Regilli triumphus ſic in Faſtis ſub hac die memoratur:

L. AEMILIVS M. F. N. REGILLVS PRO. PR. AN. DLXIV NAVALEM EGIT DE REGE ANTIOCHO. KAL. FEBR.

Qui

Qui, juxta Varronis calculum, fuit Urbis Conditæ annus DLXV. Jam vero inter gentis *Papiriæ* pariter nummos, a Vaillantio exhibitos, primus ordine cernitur, in quo caput eſt Junonis Soſpitæ ſolito caprino amiculo tectum, cum litteris CAVDINVS; & ex averſa parte ſella curulis; ſupra quam corona, cum notis L. LENTVLVS L. F. C. PAPIRI. C. F. MASO AED. CVR. Verum hic nummus idem omnino eſt ac ille quem ad Corneliam gentem ſpectantem modo huc attulimus, nihilque aliud ſignificat, quam Lanuvinæ Junonis ſacra ab Papirio & Lentulo Ædilib. Curulibus renovata fuiſſe.

Ita & in gente *Livia* nummus videtur primus ordine, in quo caput Junonis Soſpitæ caprina pelle amictum ſignatur; pone quod ſella. ex averſa parte mulier innixa columnæ ſerpentem tenens in ſe converſum cum inſcriptione C. LIVIVS MAMILIANI F. DRVSVS. nihilque aliud memorat præterquam ſacra Junoni Soſpitæ Lanuvinæ a C. Livio inſtaurata. Porro mulier quæ in averſa nummi parte exprimitur, quamquam aliis *dea Salus* credita ſit; nos non immerito puellam eſſe ſuſpicamur Lanuvino ſerpenti eſcam porrigentem; vel quid hujuſmodi ad Lanuvinum draconem alludens.

De *Licinia*, utrum ab Lanuvio originem traxerit, dubitare pariter poſſumus. Nam nummus Liciniæ gentis, eorum quos in libris de Romanarum Familiarum nummis exhibet Vaillantius, ordine ultimus, hoc videtur innuere. & nummus quidem habet in adverſa facie caput Junonis Soſpitæ pelle caprina protectum; in averſa vero Numæ Pompilii figuram, ſtantis ac lituum tenentis ante aram; ad quam victimarius capram immolandam ducit, cum litteris circa: NVMA POMPILI. & in area C. LICIN. VARVS.

RVS. Quæ deſignare videntur, Junonis Soſpitæ ſacra ab Numa Pompilio primum tradita, Licinium Varum, Romæ ne an Lanuvii? reſtituiſſe. Unde ex nummo non ſatis liquet, utrum Liciniorum origo ad Lanuvinos ſit deferenda. Ligorius *p* quidem Liciniam gentem Lanuvinam exiſtimavit, hujuſque fuiſſe L. Licinium Suram ducem Ulpii Trajani Imperatoris, Bello Germanico, Dacico, & Parthico, memoravit; Licinium quoque Valerianum & Licinium Gallienum Imperatores, quorum fuerunt olim ſepulcra in via Appia, milliario quarto ab Albano monte. & in Gallieni monumento Licinium quoque Saloninum ejus filium ſepultum fuiſſe tradit. verum, horum omnium penes ipſum fides & auctoritas eſto.

p *v.* Licinia.

De *Annia* gente dubium idem, an Lanuvina fuerit, creare videtur T. Annius Milo, quem Lanuvinum fuiſſe, ex Aſconio, Appiano, aliiſque, cognovimus. *Anniam* gentem Setinam fuiſſe, *q* certum eſt ex Livii teſtimonio. Ceterum nihil impedit, quominus & Setiæ & Lanuvii gens fuerit, atque familia, quæ *Annia* diceretur. Verum, de Milone Lanuvino infra.

q *Vide lib. 2. Vet. Lat. Corradin. cap. 22. pag. 228.*

Pro *Amia* gente Lanuvina inſcriptio M. Amii Balbi ſacerdotis Junonis Soſpitæ ſtare videtur, quam ſupra protulimus *r*. Sed quare Amius, Romanus licet fuiſſet, ſacerdos Junonis Soſpitæ Lanuvii eſſe non potuit? præſertim cum ea ſacra communia jam ab antiquiſſimis temporibus Lanuvinis cum Populo Romano eſſent? *Fabilliam* Lanuvio vindicare videntur inſcriptionum fragmenta non longe a Lanuvio reperta *ſ*; ex quibus & villa gentis ibidem fuiſſe colligi poteſt; quam, inter alia Lanuvini agri monumenta, jam recenſuimus.

r *Cap. de templ. Jun. Soſp.*

ſ *Ligor. v.* Fabilliano.

De *Clodia* tandem, utrum Lanuvina gens fuerit, ſcrupulum aliquibus injecit P. Clodii tribuni plebis a Milone in via Appia occiſi prope villam ſuam non lon-

CORNVFICIA

METTIA

PAPIA

Sintes scul.

LANUVINARVM FAMILIARVM ROMAE ILLVSTRIVM NVMMI

PAPIA



NVMMI, IN QVIBVS IVNO SOSPITA LANVVINA REPRAESENTATVR

NVMMI, INQVIBVS IVNO SOSPITA LANVVINA REPRAESENTATVR

Tab xiii

longe a Lanuvio casus. At *Clodiam* sive *Claudiam* gentem ab Sabinis claram originem duxisse, certissimum est. Id enim passim veteres auctores memorant: & nummi Claudiorum Sabina monumenta referentes idem extra omnem dubii aleam ponunt. Esto autem, P. Clodium villam habuisse in Lanuvino. si idcirco illum Lanuvinum continuo feceris, quod in Albano, (puta) aliam, in Tusculano, & Tiburtino etiam villas habuerit, num illum & Albanum, & Tusculanum, & Tiburtinum facere poteris? Et hæc tamen est levissima de antiquorum patria sentiendi ac decernendi apud quosdam facilitas, qua nihil ad vetera monumenta omnia densissimis offundenda tenebris aptius excogitari potest.

Pinniam quidem gentem Lanuvio asserere videtur lapis e ruderibus templi Lanuvinæ Junonis Sospitæ recens erutus, quem apud oppidum *Civita Lavinia* in prædio Caroli Bonelli prostantem, grandioribus litteris ac pulcherrimis exaratum, fulcri instar, sive basis statuæ, sic nuper legimus:

PINNIA. T. F. POLLA

Cum tamen jejuna hæc inscriptio feminæ, quæ licet Lanuvii statuam haberet, minime tamen ex Lanuvina esset gente, meminisse possit; neque de *Pinnia* gente, num Romæ fuerit illustris, veterum nobis monumenta supersint; gentis ejusdem patria adhuc in incerto relinquitur. In Cynthiano quoque oppido, quod Agri olim Lanuvini partem fuisse diximus, ante Ædes Principis hæc Avoniorum monumenta legebantur:

-----ONIVS. MVL
MENANDER
---V. AVONIVS. M. F.
HOR
IN FRO-----

MV. AVONIVS
ALEXANDER
DRVMIA. P. L.
PHILVMINA VXSOR

CAPUT VIII.

De reliquis Lanuvinis viris olim apud Romanos clarissimis.

IN PRIMIS se se offert Q. Roscius Comœdus cognomento *Sorex*, teste Plutarcho, vir festivissimus, & in histrionica arte excellentissimus. Hunc Lanuvinum fuisse nuper ex Cicerone confirmavimus *a*, qui educatum illum fuisse in Solonio Agri Lanuvini Campo memoriæ prodidit. Portentique loco de eo narrat, cum noctu infans adhuc in cunis dormiret, a nutrice inventum fuisse serpentis gyro complicatum; consultosque a patre de hoc prodigio haruspices respondisse: *Nihil illo puero clarius, nihil nobilius fore*. Neque auguria, ut tum quidem res æstimabantur, fefellit exitus. Vix enim adolescere Roscius cœpit, & quamvis transversum tuentibus esset oculis, adamari a nobilissimis clarissimisque viris, propter pronuntiandi, gestiendique dulcedinem, ac aptitudinem, continuo cœpit. Quos inter Q. Catulus senior excelluit. De quo illud est Ciceronis *b* pariter testimonium: *Q. Catulus, hujus collegæ & familiaris nostri pater, dilexit municipem tuum Roscium:* (loquitur hic Cicero ex Caji Cottæ oratoris persona cum Vellejo Epicureo Lanuvino, de quo nos infra nonnihil dicemus) *in quem etiam illud est ejus:*

Constiteram exorientem Auroram forte salutans,
Cum subito a læva Roscius exoritur.
Pace mihi liceat, cælestes, dicere vestra;
Mortalis visus pulchrior esse deo.

Hui! pulchrior deo? at erat, sicut hodie est, perversissimis oculis. Quid refert? si hoc ipsum salsum & venustum illi videbatur? Itaque præstantissimus in arte histrionica eva-

a *De Divinat. lib.* 1.

b *De Nat. deor. lib.* 1.

evaſit; utque obliquorum oculorum peccatum emendaret, vel potius tegeret; primus in ſcena, ad turpem aſpectum obvelandum, perſona, ſeu larva, uſus eſt *c*. Populus tamen eum ſine perſona intueri malebat, ut pronuntiationis ejus ſummam dulcedinem melius exciperet. Mira quoque aptitudine informandis arte ſua hiſtrionibus fuiſſe traditur. Nam & Panurgum quemdam C. Fannii Chereæ ſervum, ceteroqui deformem, ita Roſcius ad ſcenam inſtituit, ut H-S CCCIↃↃↃ. æſtimaretur; & Erotem comœdum alium, antea ineptum & inſulſum, ut e ſcena non modo ſibilis, ſed etiam convicio exploderetur, exercitatione ac præceptis ſuis emendatum, ad primos ſui temporis mimos perbrevi evexit. Eros enim explodi tam procaciter a populo acriter dolens, ſicut in aram, in Roſcii domum confugit, diſciplinam, patrocinium, nomen. Ita perbrevi tempore, qui ne in noviſſimis quidem erat hiſtrionibus, ad primos pervenit comœdos. Neque alia illum res extulit, niſi Roſcii diſciplinæ commendatio. Qui tamen Panurgum illum non ſolum, ut Roſcii diſcipulus fuiſſe diceretur, domum recepit; ſed etiam ſummo cum labore, ſtomacho, miſeriaque erudiit. nam quo quiſque eſt ſolertior & ingenioſior, hoc docet iracundius & laborioſius: quod enim ipſe celeriter arripuit, id, cum tarde percipi videt, diſcruciatur. Ceterum non a mimis tantum, ut ad ſcenam informarentur, Roſcius præceptor adhibebatur; verum ſummos quoque oratores ad geſtus totiuſque pronuntiationis rectam conformationem aſſequendam (in quo vim ſummam oratoriæ ſitam eſſe, conſtat) inſtituiſſe Roſcius perhibetur. Quorum omnium inſtar, Ciceronem nominare, ſatis eſto. qui ab Roſcio geſtiendi, pronuntiandique diſciplina, exercitatum ſe, profiteri, minime

eru-

c *Cic. 1. & 2. de Orat. & Orat. pro Q. Roſc. Comœd. & pro Arch. Poet.*

erubuit. Abunde tamen Cicero magiſtri laborem penſavit. Siquidem a Cajo Fannio Cherea in judicium Roſcius cum eſſet adductus, ob recepta H-S CCCIↃↃↃ. a Q. Flavio Tarquinienſi pro Panurgo ſervo a ſe interfecto, qui C. Fannii quoque ſervus communis fuerat jure ſocietatis; validiſſima oratione, quæ exſtat, non modo Roſcium Tullius defendit, judicumque ſententiis abſolutum dimiſit; verum & eadem ornatiſſima ſummis illum ejuſque artem laudibus in omnem poſteritatem decoravit. Ex quibus, ſi veræ ſunt, Roſcium probum quoque hominem, & virtutibus excellenter præditum fuiſſe, nobis conſtat. Ait enim de illo Tullius inter cetera *d*: *Quæ cum ita ſint; qui ſit qui ſocium fraudarit, & fefellerit, conſideremus: dabit enim nobis jam tacite vita acta in alterutram partem firmum & grave teſtimonium. Q. Roſcius? quid ais? nonne, ut ignis in aquam conjectus continuo reſtinguitur, & refrigeratur; ſic refervens falſum crimen, in puriſſimam & caſtiſſimam vitam collatum, ſtatim concidit, & exſtinguitur? Roſcius ſocium fraudavit? poteſt hoc homini huic hærere peccatum; qui, medius fidius, (audacter dico) plus fidei quam artis, plus veritatis quam diſciplinæ poſſidet in ſe? quem populus Romanus meliorem virum quam hiſtrionem eſſe arbitratur: qui ita digniſſimus eſt ſcena propter artificium, ut digniſſimus ſit Curia propter abſtinentiam? Sed quid ego ineptus de Roſcio apud Piſonem dico? ignotum hominem, ſcilicet, pluribus verbis commendo. Eſt ne quiſquam omnium mortalium, de quo melius exiſtimes tu? eſt ne quiſquam qui tibi purior, pudentior, humanior, officioſior, liberalior videatur? quid tu, Saturi, qui contra hunc venis? exiſtimas aliter? Nonne, quotieſcumque in cauſſa in nomen hujus incidiſti, toties hunc & virum bonum eſſe dixiſti, & honoris cauſſa appellaſti? quod nemo niſi aut honeſtiſſimo, aut amiciſſimo facere conſuevit. Qua in re, mihi ridicule es viſus eſſe in-*

d Orat. pro Q. Roſc. Com.

con-

conſtans; qui eumdem & læderes & laudares; & virum optimum & hominem improbiſſimum eſſe, diceres: eumdem tu & honoris cauſſa appellabas, & virum primarium eſſe, dicebas, & ſocium fraudaſſe, arguebas. Sed, ut opinor, laudem veritati tribuebas; crimen gratiæ concedebas. De hoc, ut exiſtimabas, prædicabas; Chereæ arbitratu cauſſam agebas. Tanta vero fuit apud hiſtriones reliquos æſtimatione atque auctoritate, ut nemo, ſpectante Roſcio, geſtum agere in ſcena jam pæne auderet. quod & qui coram illo egiſſet, impudentiæ & audaciæ nota a populo, & ab ipſo Roſcio peccati ſemper alicujus, in hiſtrionica arte admiſſi inter agendum, certiſſime notaretur. Eoque præſtantiæ pervenit, ut quicumque in aliqua arte excelleret, is in ſuo genere *Roſcius* diceretur. Librum ab eodem ſcriptum memorant; in quo hiſtrionicam eloquentiæ comparavit. Longiſſimam vixit ætatem; diemque obiit, nobiliſſimorum Romanorum communi mœrore ſublatus. Nullus enim, Tullio teſte *e*, tam animo agreſti ac duro fuit, ut Roſcii morte non commoveretur. Qui cum eſſet ſenex mortuus, tamen propter excellentem artem, ac venuſtatem, videbatur omnino mori non debuiſſe. *Doctum* appellavit Horatius eo verſu: *f*

Quæ gravis Æſopus, quæ doctus Roſcius egit.

e *Cic. pro Arch. Poet.*

f *Ep. 1. l. 2. v. 82.*

Clariſſimos inter Lanuvinos viros, Cajum quoque Vellejum Senatorem, Epicuri præceptis affatim madidum, fuiſſe ſcimus. Hujus enim Cicero, in primo ſuo de Natura deorum libro, *municipem Roſcium*, de quo hactenus, appellavit; ex eodem, ſcilicet, honeſtiſſimo municipio Lanuvino. Ceterum, hunc Tullius cum C. Cotta oratore, & Q. Lucilio Balbo, de Natura deorum diſputantem, pro Epicuri ſententia, inducit; aitque ab Epicureis primas illi, inter Latinos homines, in eo genere philoſophandi, communi con-

ſenſu, ultro delatas. Porro eam diſputationem Latinis Feriis agitatam Tullius idem meminit; ut Lanuvini, Latini ſcilicet hominis, eas ferias honeſto otio celebrandi, nativum morem exprimeret.

Jam vero, Lucium Murenam illum pro quo Ciceronis exſtat oratio, Lanuvinum pariter fuiſſe, hæc, circa orationis finem, Tullii verba nobis oſtendunt: *Judices, conſervate populi Romani beneficium; reddite Reipub. Conſulem; date hoc ipſum pudori; date patri mortuo; date generi & familiæ: date etiam Lanuvio municipio honeſtiſſimo, quod in hac cauſſa frequens mœſtumque vidiſtis: nolite a ſacris patriis Junonis Soſpitæ, cui omnes Conſules facere, neceſſe eſt, domeſticum, & ſuum Conſulem potiſſimum, avellere.* Fuit itaque L. Murena, ut ex eodem auctore Tullio probe colligitur, ex vetere quidem Lanuvina familia, verum Romæ plebeja, quæ tamen honoribus ac illuſtribus Magiſtratibus non caruerat. Proavus enim, avus, & pater, Prætores in populi Romani provinciis fuere; & L. Murena, pater hujus, honeſtiſſime in Prætura, de reliquiis Mithridatici belli deletis triumphavit. cujus triumphi particeps L. Murena hic filius meritiſſime fuit, quemadmodum & bellici laboris fuerat. Prætor Aſiam caſtiſſime adminiſtravit, & integerrime; cumque a M. Catone de ambitu, in petendo Conſulatu, accuſante Servio Sulpicio competitore, poſtularetur; Cicero Conſul, qui ſummopere in ea petitione Murenæ faverat, eumque deſignatum Conſulem, ſibique ſucceſſorem jam pronuntiaverat, eumdem pereleganti robuſtaque oratione defendit. In qua Murenam, virum fortiſſimum pariter & ſanctiſſimum, & Reipublicæ calamitoſis illis temporibus quæ Catilinæ armati turbis ac motibus ferveſcebant, perneceſſarium futurum Conſulem, diſertiſſime oſtendit. Pro eoque ita ſpopondit[g]: *Quem ego vobis, ſi quid habet*

g *Pro Muren. in fin.*

habet aut momenti commendatio, aut auctoritatis confirmatio mea, Consul Consulem, judices, ita commendo, ut cupidissimum otii, studiosissimum bonorum, acerrimum contra seditionem, fortissimum in bello, inimicissimum huic conjurationi quæ nunc Rempublicam labefactat, futurum esse, promittam, ac spondeam. Hac oratione evicit Cicero, ut Murena Consul crearetur. Inivit autem Consulatum cum Decio Syllano post Ciceronem & C. Antonium, Urbis Conditæ sexcentesimo octogesimo octavo. Fuitque primus ex Lanuvino municipio, qui Consul Romæ crearetur, ajente Tullio: *Modo maximo beneficio populi R. ornatus, fortunatus videbatur; quod primus in familiam veterem, primus in municipium antiquissimum, Consulatum attulisset.* Meruit prius sub Prætore patre in Asia: Legatus quoque ibidem Lucii Luculli fuerat: Prætor demum, in Cisalpina Gallia, in qua C. Murenam in Prætura successorem sortitus fuerat.

Titum quoque Annium Milonem Publii Clodii, sceleratissimi ac furiosissimi hominis, interfectorem, Lanuvinum fuisse, testatur in Milonianæ orationis commentariis Asconius Pedianus Grammaticus Patavinus. Ad illa enim verba de Milone: *Profectus est Lanuvium, Flaminem creavit*; sic habet Pedianus: *Milo Lanuvium, ex quo erat municipio, et ibi tum Dictator, profectus est, ad Flaminem prodendum.* Quod & Silius Italicus confirmare visus est, cum Milonem quemdam Lanuvinum, quod omnium primus Capuæ muros ascendisset, a Fulvio, Romani exercitus duce, murali corona donatum fuisse, memoravit[h]; ut supra retulimus. Sine ulla namque dubitatione credimus, Silium eo loco ad T. Annium Milonem, pro quo scripsit præclarissimam orationem Cicero, respexisse; scilicet ut Ciceronis ipsius memoriæ, quam vehementer Silius ac religiose coluit, gratificaretur; quod Milo Ciceronis semper a-

h *cap. 2. hujus libri.*

micus fuerat, optimeque de illo meritus. Voluit namque Silius ea commemoratione Milonis illius militis ac viri fortiſſimi Lanuvini, genus T. Annii Milonis Ciceronis neceſſarii exornare: innuens, quod gente nobiliſſima ac pervetuſta, quæ viris fortibus & bello inclytis floruerat, T. Annius Milo Lanuvinus originem traxerat. Ceterum, hunc eumdem Annium Milonem Papiæ Lanuvinæ gentis, de qua in ſuperioribus locuti ſumus, fuiſſe, ſunt qui *i* teſtantur. idcirco autem in gentem Anniam translatum, quia ab C. Annio adoptatus fuerat, & cum hæreditate nomen ſimul adoptantis patris acceperat. Quod innuere videtur Cicero, ad Atticum; ſcribens, *k* Q. Flaccum ex Anniana Milonis domo impetum in furentem in Urbe Clodium feciſſe. Domus enim Anniana Milonis ea eſt quam Annius Miloni in filium adoptato legaverat, quæ proinde bene & *Anniana* & *Milonis* dicebatur. Ceterum, Milo P. Clodium tum ſibi inimicum, tum vero univerſæ Reipublicæ everſorem, interfecit in Appia via, juxta Bovillas, decimum fere ad lapidem; dum ipſe, Dictator Lanuvii, illuc iter ad Flaminem Junonis Soſpitæ prodendum, haberet. Clodiani ea de cauſſa, reum Milonem, apud Senatum Populumque Romanum, accuſaverunt. Adfuit Cicero, & virum fortiſſimum, de patria ac univerſa Republica, tum etiam maxime de ipſo Cicerone, cujus favore potiſſimum ab exſilio reductus fuerat, optime meritum, patrocinari conatus eſt. Nec vero Milo in poteſtatem judicum ſe ſe dare dubitavit. At Clodianorum armis, & furore prævalentibus, pæne exanimatus Cicero metu, eam, quæ exſtat, orationem dicere minime potuit. Milo in exſilium Maſſiliam receſſit. quo cum Cicero ad eum deſcriptam eamdem orationem miſiſſet; gratias illi agens Milo,

i *Manut. in Com. ep. 3. l. 4. ad Attic.*

k *Ibid.*

re-

reſpondit, ſi illam orationem pro concione habuiſſet, ſe Maſſiliæ barbatos piſces non comeſurum fuiſſe. Si autem veræ ſunt laudes quas in ea oratione Cicero in Milonem congeſſit; profecto ex clariſſimis fortiſſimiſque viris, qui Romanam Rempub. & exornarunt, & vero tutati ſunt, Milonem noſtrum Lanuvinum nemini ſecundum exſtitiſſe, ſatis apparet.

P. quoque Sulpicius Quirinius Lanuvinus, vir bello clariſſimus, ſub Tiberio floruiſſe Suetonio & Tacito memoratur. Ait namque de illo Tacitus: (*l*) *Sub idem tempus, ut mors Sulpicii Quirinii publicis exſequiis frequentaretur, a Senatu petivit* (Tiberius). *Nihil ad veterem & patriciam Sulpiciorum familiam Quirinius pertinuit, ortus apud municipium Lanuvium: ſed, impiger militiæ & acribus miniſteriis, Conſulatum ſub Divo Auguſto, mox expugnatis per Ciliciam Homonadenſium caſtellis, inſignia triumphi adeptus; datuſque rector Cajo Cæſari Armeniam obtinenti. Tiberium quoque Rhodi agentem coluerat. quod tunc patefecit in Senatu, laudatis in ſe officiis, & incuſato M. Lollio, quem auctorem C. Cæſaris pravitatis & diſcordiarum arguebat. Sed ceteris haud læta memoria Quirinii erat, ob intentata, ut memoravi, Lepidæ pericula, ſordidamque & præpotentem ſenectam.* Pericula vero quæ Quirinius Lepidæ uxori, ceteroquin nobiliſſimæ feminæ, intentaverat, mulieris ipſius ſcelera effecerant. Siquidem & adulteriorum & veneficiorum accuſata, repudiata primo ab Quirinio fuerat. mox majeſtatis quoque in Tiberium, ejuſque domum, rea facta; in exſilium pulſa, capitali pœna, ob familiæ ſplendorem, patronorumque multitudinem, atque auctoritatem, evitata. Quamquam Tiberius avaritiæ & crudelitatis notam in eo judicio non effugit; interpretatis permultis, idcirco Lepidam ream factam & condemnatam, quaſi Cæſar Sulpicio Quirinio ſeni diviti atque or-

(*l*) *Annal.* 3.

bo

bo gratificaturus, captandæ benevolentiæ atque hæreditatis consequendæ gratia, feciſſet. Ceterum, Conſulatum geſſit Quirinius (ut in hunc Taciti locum ex Lipſio conſtat) Urbis Conditæ IↃCCXLII. cum M. Valerio Meſſalla. De illius rebus adverſus Homonadenſes proſpere geſtis meminit etiam *m* Strabo: *Homonadenſes*, inquiens, *fame expugnavit; quatuor millia virorum cepit, & in vicinas urbes diſtribuit. regione ſpoliata omni juventute*. Fuerunt autem Homonadenſes Aſiæ populi ab *Homona* ſive *Homonada*, ut habet Tacitus, oppido Iſauriæ in Pamphilia, Selgæ finitimo, ſic appellati. Res eaſdem præclare geſſiſſe Quirinium noſtrum in Africa, Lipſius ex Floro memorat. Nam libri ultimi capite ultimo, ubi legitur: *Marmaridas atque Garamantas Furnio ſubigendos dedit*, Lipſii codex alter *Curinio*, alter vero *Quirinio* exhibet. &, ex ſententia quidem Lipſii ejuſdem, recte. Ob has itaque res geſtas, Quirinius inſignia triumphi eſt adeptus. Non ſolum autem rector ab Auguſto datus eſt Cajo Cæſari, quod Tacitus refert; verum & ad cenſum habendum in Syriam ab eodem eſt miſſus. De quo fuſe *n* Joſephus. Atque hic cenſus eſt de quo Sanctus Lucas in Sacra Hiſtoria ait *o*: *Exiit edictum a Cæſare Auguſto ut deſcriberetur Univerſus Orbis. Hæc deſcriptio prima facta eſt a Præſide Syriæ Cirino*, ut habent vulgatæ editionis codices. Ceterum Græca lectio habet: ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου: *Præſidente Syriæ Cyrinio*. Græci enim cum littera Q careant, ejus loco utuntur littera K Unde vir qui apud Romanos vocabatur *Quirinius*, dicitur *Cyrinius* a Sancto Luca, Antiochiæ nato, & Græce ſcribente. quemadmodum & apud eoſdem Græcos *Quinta*, mulier ſanctiſſima, de qua in Faſtis Sanctorum, dicitur *Cointa*. Conſtanter quoque a Dione, Joſepho, & Tacito Sulpicius noſter *Quirinius* appel-

m *Lib.* 12.

n *Lib.* 18. *c.* 1. & 2. & *ſeqq.*

o *Luc. c.* 2.

appellatur; quamvis Onuphrio Panvinio, Sacri Codicis vulgatæ editionis, ut puto, exemplum ſecuto, *Quirinus* ſit appellatus. Atque ad eum cenſum in Syria a Quirinio habitum, Dei Filius, Deus ipſe, homo jam propter nos homines, & propter noſtram ſalutem factus, in utero Deiparæ Virginis geſtari voluit; eaque occaſione, pauperrime, juxta Bethlemicum oppidulum naſci.

Sed majori etiam fama viros celeberrimos & clariſſimos Lanuvium produxiſſe, conſtat. Tres dico Antoninos Cæſares Romanorum Imperatores, videlicet M. Antoninum Pium, M. Aurelium Antoninum Philoſophum, & M. Aurelium Commodum Antoninum. Et de Pio quidem Sextus Aurelius Victor in Cæſaribus ita ſcripſit: *Aurelio Antonino cognomentum fuit Pii. Hunc fere nulla vitiorum labes maculavit. Vir veterrimæ familiæ, e Lanuvino municipio Senator Urbis.* Et paulo poſt: *Quin & maribus fruſtratus, filiæ viro Reipublicæ conſultavit. namque M. Bojonium, qui Aurelius Antoninus habetur, eodem oppido, pari nobilitate, philoſophandi vero eloquentiæque ſtudiis longe præſtantem, in familiam atque imperium adſcivit.* Julius quoque Capitolinus inquit: *Antoninus Pius natus eſt in villa Lanuvina.* Hæc autem nobiliſſima fuit & magnificentiſſima villa, cujus adhuc exſtantes ruinæ circa oppidulum, nunc *Civita Lavinia*, ſedem, ut diximus, antiqui Lanuvii, ſparſæ longe lateque viſuntur. Porro Antoninus Pius ab Hadriano poſt mortem L. Ælii eſt adoptatus, ea lege ut ſibi adoptaret M. Antoninum fratris uxoris ſuæ filium, & is L. Verum, Lucii Ælii, qui ab Hadriano eodem adoptatus fuerat, filium. quod etiam factum fuit. Vir fuit Pius forma conſpicuus, ingenio clarus, moribus clemens, nobilis vultu & placidus; ſingularis eloquentiæ, nitidæ litteraturæ. præcipue ſobrius; dili-

diligens agricultor; mitis, largus, ab alieno abſtinens; & omnia hæc cum mediocritate, & ſine jactantia. Cum eſſet longus & ſenex, incurvareturque, tiliaceis tabulis faſciabatur, pectori appoſitis, ut rectius incederet. Propter excellentes ejus virtutes illum adoptaſſe Hadrianus publico teſtimonio profeſſus eſt. Qui & *Auguſtus* & *Pius* ab Senatu eſt appellatus; quod ſui principatus exordio, multis reis factis, poſtulatiſque ad ſupplicium nonnullis nominatim, punierit neminem; dicens, ab his exordium principatus facere non oportere. Cui mitiſſimæ voci, ſub initium imperii prolatæ, cetera quoque, ad exitum uſque vitæ, illius geſta plane reſponderunt. Nihil enim non modo crudele, verum neque immite aut aſperum ullo umquam tempore fecit. Quamquam autem ſub ejus imperio Chriſtiani vexati, torti, & dire necati aliquando fuerint; id tamen Proconſulum magis, Prætorum, ceterorumque Magiſtratuum crudelitate, quam Antonini ipſius juſſu factum, accepimus. Senex obiit, genere mortis tranquilliſſimo; quippe ipſa pæne tantum ætate confectus. Regnaſſe fertur annos viginti quatuor; vel, ut alii aliter computarunt, duos tantum & viginti, cum ſeptem menſibus. obiit ætatis anno ſeptuageſimo quarto cum dimidio. Ob præclariſſimas ubique terrarum res geſtas, præclaraſque ejus virtutes; præcipue vero ob comitatem & clementiam, gentibus omnibus carus, ab omnibus fere populis cultus eſt. a quibus etiam nummi in ejus honorem percuſſi quamplurimi. quorum ſeriem diligenter retulit atque explicavit Adolphus Occo *p* Auguſtanus, ex quo hæc de Antonino deſumſimus. Ceterum Antoninus uxorem habuit Anniam Fauſtinam, Annii Veri filiam, Lucii Ælii ſororem, amitam autem M. Antonini; cujus fama, ob nimiam vivendi libertatem;

p Lib. de Numiſm. Impp. Romm.

ver-

verſandique cum omnibus facilitatem, ſummopere laboravit. Attamen, tertio imperii mariti anno mortua, conſecrata eſt a Senatu inter divas ſeu deas, delatis Circenſibus. item ſtatuis aureis atque argenteis dedicatis; flaminicis quoque & templo; cujus porticus pars & facies exſtat adhuc Romæ in Foro Boario, cum inſcriptione. Nummi etiam in Fauſtinæ honorem percuſſi quamplurimi. Qui tamen honores omnes in gratiam potius mariti Antonini ſuperſtitis adhuc, viri probiſſimi, quam Fauſtinæ malæ feminæ meritis, a populorum adulatione eidem conceſſi ſunt.

De Marco Aurelio Vero Antonino Philoſopho, quod fuerit Lanuvinus, teſtimonium Sex. Aurelii Victoris nuper recitavimus; qui ait, ab Antonino Pio Lanuvino & Lanuvii in ſua villa nato M. Bojonium (alii legunt *Cejonium*) qui Aurelius Antoninus habetur, *eodem oppido*, pari nobilitate, philoſophandi vero eloquentiæque ſtudiis longe præſtantem, in familiam atque imperium fuiſſe adſcitum. Itaque M. Aurelius, cognomento Philoſophus, Annii Veri e Domitia Calvilla filius, ab Hadriano *M. Annius Verus* appellatus, deinde ab Antonino Pio adoptatus decimo octavo ætatis anno, in ſecundo Pii, jam patris ſui, Conſulatu pro *Annio Aurelius* vocari cœpit. Idem propinquum ſuum L. Annium Verum ad imperii partem, novo ante id tempus, apud Romanos benevolentiæ genere, adſcivit. Infirma uſus valetudine, toto fere principatus ſui tempore plurimis morbis eſt conflictatus. quibus curandis Galenum Pergamenum medicum ea ætate clariſſimum adhibuit. tandem optimus inter principes, mortuus eſt; vel id cauſſantibus ſolis naturalibus morbis, vel etiam (quod rumor non vanus in vulgus ſparſit) ipſis adjuvantibus medicis, ab ingrato filio Commodo corruptis, tædio dilatæ nimium

in imperio ſucceſſionis. Vixit Philoſophus annos octo & quinquaginta; ex quibus novemdecim imperavit. Alii apud Bendobonam in Germania vi peſtilentiæ ſublatum memorant. Nihil quod magis imperium Romanum gentibus commendaret, quam clementiam, eſſe, dicebat. eaque de cauſſa, ne in rebelles quidem ſuos ſævitum voluit. Attamen, ſub optimo Imperatore, quartum in Chriſtianos animadverſum eſt. & ex iis inter alios Polycarpus in Aſia, Irenæus in Galliis, aliique alibi pro Chriſto ſunt excruciati. Ceterum, M. Aurelio Vero Antonino Philoſopho plurimi ubique gentium inſcripti nummi, præclaras ob ejus dotes, excuſi ſunt. quos refert pariter & exponit Occo. Uxorem duxit Fauſtinam Antonini Pii & Fauſtinæ filiam. cujus vitia ita tulit, ut neque curioſius inveſtigaret, neque puniret. Hæc gladiatoris cujuſdam amore ita capta eſt, ut effictim eum deperierit; ex eoque genuerit Commodum, qui M. Aurelio ſucceſſit. Cumque Fauſtinæ in eum gladiatorem amor in furorem jam verſus eſſet; huic medicinam feciſſe dicitur, amaſii ſanguine epoto. Obiit tandem vel podagra, vel ipſa certe ſibi necem occulte conſcivit; ne ob ea de quibus cum Caſſio convenerat, adverſus Imperatorem, argueretur. Et huic feminæ percuſſos nummos permultos, refert Occo, aliique antiquorum nummorum interpretes. Infamis fuit hæc Fauſtina ob vulgatum paſſim cum viliſſima quaque hominum fæce corpus, apud Cajetam. Ceterum, tum Antonini Pii, tum M. Aurelii Philoſophi probitas, ac belli domique ſpectata virtus, ex patriæ diſciplina, Lanuvini ſcilicet municipii inſtitutione, fluxiſſe videtur. Quod præter ſeveram omnium Latinorum Priſcorum vivendi rationem, etiam Lanuvinorum plerumque corporis habitum hujuſmodi fuiſſe ſciamus,

qua-

qualis Philoſophos decebat; vel ſaltem ab illis qui ſe Philoſophos profiterentur, adhiberi ſoleret. De his inter alia tradit Horatius, quod ſe ſe vulgo ſapientes venditarent *tonſa cute, dentibus atris*. & Lanuvinos *atros* fuiſſe, nempe *ſubnigri coloris*, atque dentatos, notavit Catullus carmine in Egnatium ſic:

Egnatius, quod candidos habet dentes,
Renidet uſquequaque: ſeu ad rei ventum eſt
Subſellium; cum orator excitat fletum,
Renidet ille: ſeu pii ad rogum fili
Lugetur; orba cum flet unicum mater,
Renidet ille: quidquid eſt, ubicumque eſt,
Quodcumque agit, renidet. hunc habet morbum,
Neque elegantem, ut arbitror, neque urbanum.
Quare monendus es mihi, bone Egnati:
Si urbanus eſſes, aut Sabinus, aut Tiburs,
Aut porcus Umber, aut obeſus Etruſcus,
Aut Lanuvinus ater, atque dentatus,
Aut Transpadanus (ut meos quoque attingam)
Aut quilibet, qui puriter lavit dentes:
Tamen renidere uſquequaque te nollem.
Nam riſu inepto res ineptior nulla eſt.
Nunc Celtiber, in Celtiberia terra
Quod quiſque minxit, hoc ſolet ſibi mane
Dentem atque ruſſam defricare gingivam.
Ut quo iſte vester expolitior dens eſt,
Hoc te amplius bibiſſe prædicet loti.

Profecto ater color & dentes prægrandes, hominis ad laborem facti, ſunt quoque ſigna. Et Lanuvinos laborum, præſertim militiæ, patientiſſimos fuiſſe, tot præclari bello viri, quos hactenus recenſuimus, ſatis declarant.

Jam vero, *Lucium*, ſive *Marcum*, ut in quibuſdam ejus nummis legimus, (ſi tamen hujus ſunt) Ælium Aurelium Commodum, qui & *Commodus* tantum abſ-

que addito eſt dictus, Lanuvinum fuiſſe, & generis origo, & Ælius Lampridius in ejus vita confirmant. Ait enim Lampridius de Commodo: *Natus eſt apud Lanuvium*. Et poſtea: *Adpellatus eſt etiam Romanus Hercules, quod feras Lanuvii in amphitheatro occidiſſet*. Denique imminentis Commodo necis ſigna enumerans, *Bubo etiam*, inquit, *ſupra cubiculum ejus deprehenſus eſt, tam Romæ, quam Lanuvii*. Hic ab Antoninorum virtutibus, immane, quantum degeneravit! Non mirum tamen; quamvis enim Antonini Philoſophi filius crederetur; re vera erat Fauſtinæ Philoſophi uxori ex adulterio cum gladiatore natus. quod & incredibilis ejus in artem gladiatoriam propenſio mire probabat. Cognomen *Commodi* congruentem ei corporis modum tribuiſſe, perhibent. Siquidem fuit illi, præter ætatis florem, pulchra viriliſque facies, tranquillæ faces oculis atque micantes, flava & criſpa cæſaries, ut in ſole ambulanti, velut igne quodam, rutilaret. Quamquam autem ab Antonino Philoſopho patre, ut quidem putabatur, optime inſtitui atque educari Commodus juſſus fuerit; nihilo tamen minus in omnem vitiorum labem effrenis ſe ſe præcipitem dedit. Natus erat annos novemdecim, cum pater ejus moritur; & ille, utpote qui a prima ſtatim pueritia, turpis, crudelis, improbus, impius, libidinoſus fuerat; ſcurram exinde magis & gladiatorem, quam Imperatorem egit. Primis quoque imperii ſui exordiis multos clariſſimos viros occidit. Sæviit in Senatum, & Fauſtinam matrem; quam expulit in exſilium. Lucillam ſororem occidit. matronis æque ac vulgati corporis feminis non pepercit. Cum barbaris bella geſſit; auxilioque Albini & Nigri proſpere aliquando pugnavit. Ulpium Marcellum miſit contra Britannos. Ceterum, maximum ejus negotium fuit, gladiatoriam

in

in Amphitheatro tum Romæ, tum Lanuvii in patria ſua, agere. rituque Herculis, qui Calydonium aprum Nemæumque Leonem & Chimæram aliaque monſtra celeberrima ſuſtulerat, cum feris ſæpe eſt congreſſus. quodque elephantum atque orygem conto transfixiſſet, *Hercules Romanus*, aut *Commodianus* dici voluit. Tandem, poſt ſæviſſimam tyrannidem, cum Urbem ipſam Romam incendi juſſiſſet; ut renovatam deinde *Commodianam Coloniam* faceret, & appellaret; a Læto Præfecto prætorii prohibitus, & conſpiratione cum Electo in ipſum facta, ſublatus eſt. De mortis genere omnino inter ſcriptores non convenit. alii namque, illum veneno prius inefficaci tentatum, adjuvante Marcia concubina, Commodo dilectiſſima; mox ſtrangulatum fuiſſe, tradunt. alii vero lavantem, Narciſſi athletæ opera ſuffocatum. Periit ætatis ſecundo & trigeſimo, imperii ſive tyrannidis, tertiodecimo. Cadaver, Pertinacis juſſu, in Hadriani molem atque ſepulcrum translatum eſt. In eo gens Aurelia principatum amiſit. ab ejus exitu ſeditiones & bella quam maxime ferbuere. Porro, ſub Commodo peſtilentia fuit tæterrima, qualis ante id tempus numquam. ſiquidem cadebant in dies ſingulos in Urbe ad octo millia hominum. peſtilentiam malignitas quoque & crudelitas hominum adjuvabat. etenim necabantur plurimi a maleficis, punctionibus acuum veneno oblitarum, vulnere quo ſubtiliori eo inſanabiliori. quod & ſub Domitiano factum antea fuerat. Ceterum non defuere etiam Commodo adulatores populi, qui nummis, illius cum effigie, nomine, ac titulis, impreſſis, ipſum ornarent. quos laudatus Occo recenſuit. Commodi uxor Criſpina, Burrhi ſive Prutii Præſentis filia, adulterii cauſſa primo Capreas relegata, mox etiam occiſa eſt a marito.

In

In eo libro quem de claris Grammaticis ſcripſit C. Suetonius Tranquillus, fuiſſe L. Ælium Lanuvinum duplici cognomine, *Præconinum* ſcilicet ac *Stilonem*, vocitatum, qui rem grammaticam promoverit quam maxime, memoravit. Tranquilli ipſiuſmet verba recitabo: *Inſtruxerunt auxeruntque ab omni parte grammatica Lucius Ælius Lanuvinus gener Q. Ælii, & Servius Clodius: uterque eques Romanus, multique ac varii & in doctrina & in Repub. uſus. Lucius Ælius cognomine duplici fuit: nam &* Præconinus, *quod pater ejus præconium fecerat, vocabatur: &* Stilo, *quod orationes nobiliſſimo cuique ſcribere ſolebat: tantus optimatum fautor, ut Quintum Metellum Numidicum in exſilium comitatus ſit.*

Hactenus Suetonius. His Auſonius Popma Friſius in ſuis ad Varronem notis adjecit, Ælium hunc noſtrum Marci Terentii Varronis magiſtrum fuiſſe, duoſque, inter multos, præcipue celebres edidiſſe Commentarios; alterum de ratione vocabulorum; de proloquiis alterum. Porro hunc Varronis magiſtrum, omnium ſuæ ætatis Romanorum doctiſſimum exiſtimatum, tradidit Gellius. Quamvis nonnulla Gellii exemplaria pro L. Ælio ſcilicet *Lucio Ælio*, unum tantum nomen, nempe *Lælium*, legendum præbeant. Ex Ælio Stilone teſtimonium produxit Feſtus *q* ut confirmaret, apud Latinos, præcipue vero Lanuvinos, ab omine boni ominis horas matutinas ſive antemeridianas appellatas, *mane*. En verba Feſti. *Manuos in carminibus Saliaribus Ælius Stilo ſignificare ait Bonos*. Quo loco alii pro *Manuos* legendum putant *Manos*. Nam Lanuvini (ut eſt apud Macrobium & Varronem libro hujus operis primo, capite quintodecimo, relatos,) Bonum dixerunt *Manum* ſive *Mane*, non *Manuum*. Quod autem Suetonius Ælium hunc generum dixit Quinti Ælii, Æliam gentem & Lanuvii olim fuiſ-

q Feſt. l. 11.

fuiſſe, vel ſaltem Lanuvio exortam, quodammodo indicat. Quamquam illam eamdem cum gente Ælia Romæ celeberrima, ex qua plures prodierunt Imperatores, exſtitiſſe, aſſeverare non auſim.

Alios quamplurimos belli domique ſpectatiſſimos viros Lanuvinos floruiſſe, nullus dubito; ſed ignotis perierunt mortibus. Quare hos e vetuſtis ſcriptorum monumentis, e tenebris velut eductos, in hunc locum, tamquam in ſolem, nos protuliſſe, ſufficiat.

CAPUT IX.

De Marcio Colle prope Lanuvium.

INTER loca Velitris proxima Marcium quoque Collem numeravimus, cum Veliternorum vetera monumenta præſentes relegeremus. at nihil de illo, præter nominis recentis *Colle Marzo* cum antiquo *Marcio* collationem cum inveniſſemus, nihil prorſus de eodem in noſtro de Veliternis libro locuti ſumus. Nunc quando ex veteribus hiſtoricis hunc Collem non procul Lanuvio fuiſſe didicimus, paucula quæ de ipſo exſtant monumenta afferemus. Itaque de hoc Colle meminiſſe Livium putamus libro ſeptimo his verbis: *Nec diu licuit quietis conſilia erigendæ ex tam gravi caſu Reipub. ſecum agitare. hinc Volſci veteres hoſtes ad exſtinguendum nomen Romanum arma ceperant: hinc Etruriæ principum ex omnibus populis conjurationem de bello ad Fanum Volumnæ factam, mercatores adferebant. Novus quoque terror acceſſerat, defectione Latinorum, Hernicorumque.* & paullo poſt: *Tertiam partem exercitus Camillus ad Volſcos duxit. nec procul a Lanuvio (ad Metium is locus dicitur) caſtra oppugnare eſt adortus.* quamquam enim in omni-

omnibus exemplaribus, quæ quidem ego viderim, ita habeatur, *ad Metium*; ex Diodoro nihilominus & Plutarcho, *ad Martium*, ſive *ad Marcium* legendum eſſe plane colligitur. Siquidem Diodorus Siculus, in fine quarti libri, de eadem Romanorum in Volſcos expeditione locutus, hæc habet: *Adflictis per eam, quam diximus, calamitatem, fortunis Romanorum, Volſci bellum ipſis moverunt. Tribuni igitur Conſulares delectu militum habito, & copiis in apertum eductis*, ad Marcium, *quod vocant, caſtra poſuere, ducenta ab Roma ſtadia*. Ubi pinguis Latini interpretis error notandus, qui loco vertendi *ad Marcium*, de ſuo perperam verbulum intrudens vertit *ad Campum Martium*. Cum tamen Diodorus tantum εἰ τῷ καλουμένῳ Μαρκίῳ ſcripſerit; & diſtantia ducentorum ſtadiorum ab Urbe, appoſita, locum hunc a Campo Martio, ſub ipſa antiqua Romana mœnia, ad Tiberim, ſito, apertiſſime diſcriminaverit. Plutarchus quoque in Camillo *Haud dum*, inquit, *his defunctos ærumnis Romanos repente occupat bellum. Æqui ſimul & Volſci Latinique fines Romanorum populabantur. Etruſci item Sutrium obſidebant, ſocium Populi Romani oppidum. Cum autem Tribuni Conſulares, qui exercitui præerant, ad Marcium montem, ubi caſtra habebant, obſiderentur a Latinis; Romamque ſignificaſſent, quanto in periculo caſtra verſarentur; Camillus tertium Dictator dictus eſt*. & infra: *Dictator poſtquam dictus eſt Camillus, nuntiato, legiones cum Tribunis Conſularibus a Latinis ac Volſcis obſideri: longo flexu, Marcium montem exercitum circumduxit; caſtraque a tergo hoſtium clam eſt metatus*. Quibus ex verbis, cum de eadem omnino Livius, Diodorus, & Plutarchus, expeditione loquantur; patet de eodem pariter loco locutos eſſe, quem Diodorus & Plutarchus *Marcium*, Livius vero, ſive Livii exemplaria per librarios depravata *Metium* nominaverint. Neque facile perſuaſerit quis, eum locum

du-

duplici nomine appellatum, cum recens vocabulum *Colle Marzo* nimis apte antiquo *Marcio Colli* congruat. Situs eſt hic quinque ultra Lanuvium milliariis, in Pomptinum campum & paludes proſpectans. Siquidem ducenta ab Roma ſtadia aberat, & Lanuvium centum & ſexaginta, quæ viginti antiqua Romana milliaria conficiunt.

CAPUT X.

De Tellenis, Ficana, & Politorio, Oppidis jamdiu exciſis, & quondam Lanuvino agro conterminis.

INTER clara Antiqui Latii oppida jamdiu exciſa ſine veſtigiis, tria Plinius recenſuit, Tellenas videlicet, Ficanam, & Politorium, quæ circa agri Lanuvini, Ardeatis, atque Oſtienſis fines, exſtitiſſe, certis auctorum veterum teſtimoniis affirmari poſſe videtur. Plinius itaque *a*: *Fuere*, inquit, *in Latio clara oppida, Satricum, Pometia, Scaptia, Pitulum, Politorium, Tellenæ, Tifata, Cænina, Ficana*, & reliqua ab ipſo, eo loci recenſita; quæ ejus ætate ſine veſtigiis jamdiu exciſa jacebant. Quamquam autem earum urbium veſtigia penitus interierint; ex quibuſdam tamen Strabonis verbis colligere prudenter ſatis poſſumus, Tellenas, Ariciam inter & Antium, antiquitus ſitas fuiſſe. ait enim Strabo *b*: *Hernici Lavinio* (num *Lanuvio?* opportunius videtur) *erant & Albæ propinqui, ipſique Romæ; nec procul inde Aricia, Tellenæ, & Antium.* Certe Hernici propinquiores multo fuere Lanuvio quam Lavinio; quippe qui in montibus ſedes plerumque, poſt Albanum, haberent, in quibus nunc Ferentinum, aliaque Novi Latii, ſive Campaniæ, ſunt oppida. Lavi-

a *Lib.* 3. *c.* 5.

b *Lib.* 5.

nium autem ab iis montibus remotius multo quam Lanuvium fuit. ſiquidem Lavinium haud procul a Tyrrheni maris ora conditum, jam conſtat. De Ficana ſic habet Pompejus Feſtus: *Puilia ſaxa eſſe ad Portum, qui ſit ſecundum Tiberim, ait Fabius Pictor; quem locum putat Labeo dici, ubi fuerit Ficana, Via Oſtienſi, ad undecimum lapidem.* De Politorio vero Volaterranus memoriæ prodidit [c] urbem Priſcorum Latinorum fuiſſe ubi nunc pagus *Polini* dictus viſitur; mirum tamen id unde hauſerit tanto poſterior Plinio Volaterranus; cum Politorium jam inde ab Romanorum exordiis deletum fuerit ab Anco rege, ex luculento Livii, quod mox referam, teſtimonio; ipſiuſque Plinii ætate, nulla jamdiu ejus oppidi veſtigia apparuerint. Romani igitur has urbes, quod Latinorum, adverſus Romanum nomen arma ſubinde capientium, receptacula & latibula eſſent, delevere. Et de Tellenis quidem, Ficana, & Politorio, ſic Livius [d]: *Ancus*, inquit, *demandata cura ſacrorum flaminibus, ſacerdotibuſque aliis, exercitu novo conſcripto, profectus, Politorium urbem Latinorum vi cepit: ſecutuſque morem regum priorum, qui rem Romanam auxerant, hoſtibus in civitatem accipiendis; multitudinem omnem Romam traduxit. Et cum circa Palatium, ſedem veteres Romani; Sabini Capitolium atque arcem; Cœlium montem Albani impleſſent; Aventinum novæ multitudini datum. additi eidem haud ita multo poſt, Tellenis, Ficanaque captis, novi cives. Politorium rurſus bello repetitum: quod vacuum occupaverant Priſci Latini, eaque cauſſa diruendæ urbis ejus fuit Romanis, ne ſemper hoſtium receptaculum eſſet.* Ingenti ſane lucro hi Latini populi ſuas urbes a Romanis exſcindi toleravere; quippe qui in partem ipſius Romanæ civitatis atque urbis adſciti fuerint. Harum urbium cladem ac direptiones Dionyſius, aliquanto quam Livius fuſiori narratione, his verbis eſt

per-

[c] *Ap. Baudrandum v.* Politorium.

[d] *Lib.* 1.

perſecutus *e* : *Vix regnare cœperat* (Ancus Marcius Romanorum rex quartus) *& quietam Rempublicam inſtituere, cum Latini contemnentes eum, ut ignavum, & adminiſtrando bello parum idoneum, latronum manus dimittere per agros conterminos, multoſque Romanorum lædere. ad quos legatis a Rege miſſis, qui res ex fœdere repeterent; fingebant, ſe neque latrones ullos ſcire, de quibus fierent querimoniæ; neque conſenſu quicquam factum publico; neque Romanis ſe ulla in re obnoxios. Cum Tullo enim ſe, non cum illis, fœdus feciſſe : poſt quem defunctum, nullo ſe amplius teneri pacis fœdere. Ob hujuſmodi reſponſum coactus eſt Marcius exercitum contra eos ducere : obſeſſumque Politorium priuſquam ab aliis Latinorum oppidis auxilia ſuccurrerent, cepit; oppidanis ſedentibus. a quibus omnem injuriam abſtinens, populariter Romam traductos diſtribuit per curias. Oppidum ipſum deſertum cum anno ſequenti novi Latinorum coloni occupaſſent; jam ad colendum agrum ſe accingentibus ſupervenit cum exercitu Marcius; auſoſque in aciem prodire vicit prœlio, iterumque cepit oppidum. incenſis deinde domibus, etiam mœnia diruit, ne eſſet hoſti, aut agrum colere volentibus receptaculum. Sequenti anno Latini exercitum admoverunt ad Medulliam Romanam Coloniam, quam corona cinctam, undique ſimul facto impetu, expugnaverunt. Eodem tempore Marcius Tellenas nobile Latinorum oppidum vi cepit, acie primum, mox oppugnatione victor : oppidanos cum bonis ſuis integris Romam tranſtulit; & locum aſſignavit eorum domiciliis. Medulliam quoque, per triennium a Latinis detentam, quarto demum anno recepit, poſt aliquot prœlia. Nec multo poſt Ficanam expugnavit. Ex qua ante triennium dedita populum Romam traduxerat; in ipſum oppidum mitius, quam prudentius conſuluerat. integrum enim relictum novi Latinorum Coloni occuparant; & prædiis propriis elocatis, ipſi e Ficanenſi agro ſe alebant. quamobrem Marcius coactus illam* e *Dionyſ. lib.* 3.

bello repetere, magno negotio in poteſtatem ſuam redegit, ædes incendit, mœnia diruit. Secuta ſunt duo prælia. priore, cum æquo marte diu pugnaſſent, neutro inclinante victoria, receptui ſigno dato, in caſtra digreſſi ſunt. poſteriore, Latinos Romani vicerunt egregie; & uſque caſtra ſunt perſecuti. Poſt has pugnas, nuſquam acie certatum eſt: excurſiones tantum ultro citroque factæ per agros finitimos, & agreſtium velitationes. admixtis etiam equitibus; plerumque ſuperante Romano; quod opportunis locis diſpoſita haberet præſidia; quibus Tarquinius genere Hetruſcus præerat. Hæc fuſe Dionyſius. Mox ſedes, ab Anco rege devictis Tellenarum, & Politorii, Ficanæque civibus, in Aventino aſſignatas, ita deſcribit. *Aventinum complexus* (Ancus) *eiſdem mœnibus. hic collis altus octodecim ferme ſtadiorum ambitu, ſilvis tunc obſitus varii generis, præcipue lauro, unde Lauretum pars ejus dicitur; nunc totus refertus eſt ædificiis. ubi inter alia pulchra, & Dianæ templum viſitur. Dirimebatur is a reliqua urbe Palatinoque Colle, ubi primi habitatores locaverunt ſibi domicilium, profunda quadam & anguſta valle. quæ, procedente tempore, terra aggeſta, complanata eſt. Tunc vero Ancus veritus, ne forte, ut imminens urbi, ob loci opportunitatem, occupatus aliquando, muniretur ab hoſtibus; muro eum & foſſa circumdedit. traductoſque e Tellena, & Politorio, ceteriſque devictis oppidis, habitare juſſit in eo. Hoc unum ejus factum ad Rempub. pertinens narratur egregium, & admodum utile, urbe aucta, & quaſi altera priori addita; &, ſi quando hoſtis ingrueret, minus expugnabili reddita.* Ceterum, quamquam de his urbibus, Tellenis, ſcilicet, Ficana, & Politorio monumenta reliqua omnia conciderint; ea nihilominus clara olim oppida fuiſſe, ex Plinii teſtimonio docemur. Tellenas autem, ſive Tellenam (etenim utroque vocabulo, nunc apud Livium, nunc

apud

apud Dionyſium, & Plinium, eam urbem appellatam legimus) oppidum Latinorum *nobile* ab Dionyſio nominatum, novimus; & Ficanam nonniſi magno negotio potuiſſe ab Anco rege de Latinorum manibus recuperari. Quod urbis amplitudinem, validumque, ut tum res erant, munimen oſtendit. Civitatem vero Romanam ab harum urbium populis auctam, eoſdemque Romanos evaſiſſe, vel unum hoc eiſdem adeo glorioſum fuit, ut ingentia aliarum urbium adhuc exſtantium decora non æquaſſe modo, verum etiam longe ſuperaſſe, mihi jure optimo videantur. Porro, cum his Latinis populis, qui circa Lanuvinum agrum urbes habuerant, Aventinus mons ſedes Romæ fuerit conſtituta; cumque, Romana jam florente Republica, Lanuvinis, poſt alia cum Latinis bella, civitas data fuerit; eorumque ſacra Junonis Soſpitæ communia cum Pop. Romano facta; templum quod Junoni Reginæ, quæ eadem ac Soſpita, in Aventino fuit dedicatum, maxime ab hiſce Aventini Colonis originem duxiſſe, haud inani conjectura ſuſpicor. Cum enim hi Latini omnes, circa Lanuvinæ Junonis incolentes, ejuſdem ſacris aſſueſſent; perfacile factum crediderim, ut inter fœderum conditiones, quibus poſtea Lanuvinis civitas data eſt, hanc potiſſimam inſerendam ipſi poſtulaverint; ut in Aventino, media inter antiquos ſuos Junonicolas, Juno Soſpita Magna Regina ædem haberet; quaſi novum Lanuvinæ Junonis templum. cum patriæ maxime religionis patriorumque ſacrorum tenaciſſimum unumquemque populum, etiam mutatis ſedibus, ſemper fuiſſe, compertiſſimum ſit. Licet idem in Aventino templum, Junonis ſigno, celeberrima pompa, Vejis expugnatis, in Urbem translato, huic numini ſolemnius conſecratum fuiſſe, non ignoremus. Ficanam

f *Ap. Festum.* nam a quibuſdam *f* etiam *Ficulneæ* nomine recenſitam reperi, a *fici* fortaſſe arbore, quæ in loco conditæ poſtea urbis, primo fuiſſet; quemadmodum & *Lauretum* ſive *Loretum* vicos duos, majorem atque minorem, vocatos in Aventino ex lauri arboris conſita ibidem antea ſilva, nuper ex Dionyſio memoravimus. Tel-

g *Ap. Baudrand.* lena etiam *g* aliquando *Tellina* dicta. *Telleni*, vel *Tellini* populi, & *Tellenates*.

FINIS LIBRI OCTAVI.

VETUS LATIUM PROFANUM

LIBER NONUS

DE ARDEATIBUS

AUCTORE
JOSEPHO ROCCO VULPIO
SOC. JESU SACERDOTE.

CAPUT I.

De Ardeæ Conditoribus.

ANUVINIS contermini olim fuere Ardeates; quorum urbs *Ardea* Rutulorum princeps & caput. Porro Rutuli ab exordio quidem gens non modo a Latinis diſcreta, verum & Latinorum inimica exſtitiſſe perhibentur. Cum enim originem a Græcis traherent; externique hoſpites ad eam Italiæ oram quam Latini jam incolebant, figendi domicilii cauſſa veniſſent; terra primum ab ipſis prohibiti ſunt. mox viribus prævalentes, exiguum aliquamdiu regnum intra

tra Numicum & Tiberim amnes, agros vero Lanuvinum, Laurentem, & Antiatem tenuere. Donec Turnus eorum rex bello cum Latinis congressus, ob pactam sibi Laviniam, quam fata Æneæ Trojano ut daretur, poscere jactabantur, in acie interfectus est: Rutulorumque ager, qui non latior agro Ardeate fuit, una cum ipsa Ardea urbe, in Latinorum ditionem concessit. Hæc Livius, Dionysius, Strabo, Virgilius, Silius, aliique scriptores vetustissimi, Græci, Latinique, dum Romanæ gentis exordia referunt, fuse descripsere. Hinc sapienter atque erudite Philippus Cluverius *a*, quamplurimis Virgilii & Silii testimoniis in medium adductis, notavit, Rutulos ab his poetis eosdem modo cum Latinis haberi; immo & Romanis, qui a Latinis genus ducebant, eorumque pars erant: modo vero distingui, tamquam ab Latinis diversum, ac peculiarem populum. Unum tantum ad alia properans alterumve locum hic afferam. Virgilius itaque de Lavinia Latini filia locutus: *b*

a *Ital. Antiq. l. 3. pag. mihi* 970. *& seqq.*

b *Æneid. l. 7.*

Multi illam magno e Latio totaque petebant
Ausonia. petit ante alios pulcherrimus omnes
Turnus, avis atavisque potens. quem regia conjux
Adjungi generum miro properabat amore.
Sed variis portenta deûm terroribus obstant.

En ut Turnum Rutulorum regem Virgilius Latinis annumerat; illis nempe qui e magno Latio Laviniam petebant. Quod & disertius infra sic repetit:

-- -- subita ex alto vox reddita luco est:
Ne pete connubiis natam sociare Latinis,
O mea progenies; thalamis neu crede paratis.
Externi veniunt generi.

Mox, ex persona Latini regis ad Ilioneum Æneæ legatum, sic:

Est mihi nata, viro quam gentis jungere nostræ,

Non

Non patrio ex adyto ſortes, non plurima cælo
Monſtra ſinunt. generos externis affore ab oris.

En ut Latinus Latinorum rex Rutulum gentiſque Rutulæ regem & ducem Turnum, virum vocat gentis ſuæ, Latinæ ſcilicet. Eodem autem pacto pluribus aliis locis Virgilius Rutulos, tamquam eoſdem cum Latinis, commemorat. Ac libris præcipue octavo & nono; in quibus Turni, cum Ænea Trojaniſque dimicantis, exercitum promiſcue, nunc *Latinos*, nunc *Rutulos*, frequentiſſimus appellavit. Silius vero, religioſiſſimus ille Virgilii imitator, Saguntinos in Hiſpania *Rutulos* dixit; quod Saguntus eorum urbs (quæ obſeſſa & expugnata initium tæterrimi belli Punici ſecundi cum Annibale Romanis fuit) ab Ardea Rutulorum orta diceretur. Eamdemque ob rationem, Romanos ipſos, ſeu Romanorum exercitum, *Rutulos*, & *Rutulorum* ſæpe nominavit; unam eamdemque, Romanos, Latinos, Rutulos, & Saguntinos, gentem, origine fuiſſe, declaraturus. Silii verba, ubi Saguntinorum legati Romam verſus navigant, hæc ſunt *c*: c *Lib.* 1.

Interea Rutulis longinqua per æquora vectis
Herculei ponto cœpere exſiſtere colles,
Et nebuloſa jugis ſe attollere ſaxa Monœci.

& paullo poſt:

Hinc conſanguineæ ſubeunt jam mœnia Romæ.

Sic pluribus toto opere locis, Romanos eoſdem cum Rutulis, hoſque cum Latinis, nullo diſcrimine, paſſim facit. Virgilius tamen alibi Rutulos a Latinis diſerte diſcriminavit. Et primo quidem hoc *d* carmine: d *Lib.* 12.

Parcite jam, Rutuli, & vos tela inhibete, Latini.

Et libro ſeptimo, ubi Turnus Trojanis ſimul & Latinis bellum minatur:

Se ſatis ambobus, Teucriſque venire, Latiniſque.

Quæ inconſtantia vel inde ortum duxit, quod Rutuli

tuli prius ſuæ ditionis domini, deinde Latinorum regi paruerint: atque adeo Poeta, nunc primum eorum ſtatum ſpectans, alios ab Latinis dixerit; nunc Latinis jam ſubditos, unum atque eumdem populum eos jam effectos, conſideraverit. vel ex poetarum licentia, quibus quidlibet audendi ſemper poteſtas fuit. Certe Virgilius idem Rutulorum regnum tamquam Latino regi ſubjectum deſcripſit primo; mox autem tamquam diſcretum quid, & ab Latinis omnino diviſum retulit. Ecce tibi utrumque locum. Latinus rex, in concilio, Rutulorum ditionem, tamquam ſuam, Æneæ, Trojaniſque ſe ſe daturum, ſic pollicetur: *e*

e Æneid. l. 11.

Eſt antiquus ager, Tuſco mihi proximus amni,
Longus in occaſum fines ſuper uſque Sicanos:
Aurunci Rutulique ſerunt.
Hæc omnis regio, & celſi plaga pinea montis,
Cedat amicitiæ Teucrorum; & fœderis æquas
Dicamus leges; ſocioſque in regna vocemus.
Conſidant, ſi tantus amor, & mœnia condant.

Ceterum, idem Latinus, ſeparatum habere Turnum ab Latini ipſius ditione regnum, infra teſtatur, Turnum ſic allocutus: *f*

f Lib. 12.

Sunt tibi regna patris Dauni, ſunt oppida capta
Multa manu,

Et Amata Latini uxor, Turnique conſobrina, hac ad Latinum oratione utitur: *g*

g Lib. 7.

Quid tua ſancta fides, quid cura antiqua tuorum,
Et conſanguineo toties data dextera Turno?
Si gener externa petitur de gente Latinis;
Idque ſedet; Faunique premunt te juſſa parentis:
Omnem equidem ſceptris terram quæ libera noſtris
Diſſidet, externam reor; & ſic dicere divos.
Et Turno, ſi prima domus repetatur origo,
Inachus, Acriſiuſque patres, mediæque Mycenæ.

Ve-

Verum conciliari hæc inter ſe optime poſſe, nulloque negotio, reor; ſi dixerimus, Turnum ita regem Rutulorum fuiſſe, ut tamen ſupremum quoque Latinorum in ſe ſuoſque, jam olim devictos a Latinis ipſis, imperium cognoſceret. Amatam vero acute *externum* illum vocaſſe, ut ad ſuum conſilium, Laviniam non alteri quam Turno tradendi, oracula, quæ vir Latinus opponebat in contrarium, revocaret. Itaque Rutuli Latinorum pars exſtitere; non modo ut Hernici, Volſci, atque Æqui; verum etiam magis proprie atque arctius illis omnibus. Non ſolum enim inter populos Latini nominis ad Latinas conveniebant; verum & in ipſo Latii antiqui medio ſinu habitarunt; & cum Latinis antiquiſſimam & frequentiſſimam conſanguinitatem contraxere.

Itaque, intra Numicium amnem, Lanuvium, Coriolos, & Antium, Ardea fuit, Rutulorum quidem urbs princeps; verum ab ipſis ferme exordiis, Latini nominis. Hanc vetuſti ſcriptores permulti a Danae Acriſii filia, Perſei, ut eſt in fabulis, ex Jove matre, conditam fuiſſe, memoriæ prodidere. Nam Virgilius: *h*

h *Æn. l. 7.*

Protinus hinc fuſcis triſtis dea tollitur alis
Audacis Rutuli ad muros, quam dicitur urbem
Acriſioneis Danae fundaſſe colonis,
Præcipiti delata Noto. locus Ardea quondam
Dictus avis, & nunc magnum manet Ardea nomen.

Ad quem locum Servius putavit, vocem illam *Acriſioneis* ad Danaem referri debere, ut ſignificet, Danaem Acriſioneïam, ſcilicet Acriſii filiam, condidiſſe eam urbem colonis ad inhabitandum. Verior tamen, & magis obvia lectio mihi eſt, ut intelligamus, Danaem hanc urbem fundaſſe colonis Acriſioneis, nempe ab Acriſio per Danaem ipſam & Perſeum oriundis;

dis; quod Silii teſtimonio confirmo: *i*

i *Sil. l. 1.*

Vos, per culta diu Rutulæ primordia gentis,
Laurentemque larem, & genetricis pignora Trojæ,
Conſervate pios, qui permutare coacti
Acriſioneis Tirynthia culmina muris.

Hinc *k* Plinius: *Oppidum*, inquit, *Laurentum, lucus Jovis Indigetis, amnis Numicius, Ardea a Danae Perſei matre condita; dein quondam Aphrodiſium Antium Colonia.* & Solinus *l*: *Quis ignorat conditam a Danae Ardeam?* Martianus *m* vero: *Hoc loco poſſem etiam urbium percurrere conditores, ut a Jano Janiculum, a Saturno Latium, a Danae Ardeam, ab Hercule Herculaneum.* Et Virgilius *n* de Turno Ardeæ rege:

k *Lib. 3. c. 5.*

l *Solin. cap. 8.*

m *Mart. Capel. l. 6.*

n *Æneid. l. 7.*

Et Turno, ſi prima domus repetatur origo,
Inachus, Acriſiuſque patres, mediæque Mycenæ.

Acriſius enim Abantis regis Argivorum filius, & Mycenarum rex fuit. Ubi Servius: *A Danae*, inquit, *Acriſii regis Argivorum filia. poſtquam eſt a Jove vitiata, pater eam intra arcam incluſam præcipitavit in mare. quæ delata ad Italiam, inventa eſt a piſcatore cum Perſeo, quem illic enixa fuerat; & oblata regi Pilumno, qui eam ſibi fecit uxorem: cum qua etiam Ardeam condidit: a quibus Turnum vult originem ducere.* Adverſus tamen hæc omnia ſunt *o* Hyginus, & Apollodorus, qui hanc de Danae fabulam longe aliter narravere, nullamque de illius ad Italiæ oras appulſu, urbiſve ædificatione, nec minimam, mentionem fecere. Siquidem Hyginus, in inſulam Seriphum, arcæ incluſam Danaem, voluntate Jovis delatam, refert, conjugioque Polydecti regi junctam. Et Apollodorus idem *p* omnino tradidit. Ceterum, ideo Danaem in arctiſſimam cuſtodiam traditam Acriſius pater conjugio prohibere voluerat; quod ab oraculo accepiſſet, filium quem ipſa genuiſſet, Acriſio necem allaturum. quod tamen nihilominus

o *Μυθολογι-κῶν cap. 63.*

p *Lib. 11. de Diis.*

nus eveniſſe, refert Hyginus. Perſeus namque Danaes ex Jove filius, inter ludendum, diſco miſſo, quem ventus in Acriſii caput diſtulit, eum interfecit. Incluſam ab Acriſio patre Danaem venuſtiſſime ſic deſcripſit Horatius: *q*

q *Od.16.l.3.*

Incluſam Danaem turris ahenea,
Robuſtæque fores, & vigilum canum
Triſtes excubiæ, munierant ſatis
Nocturnis ab adulteris;
Si non Acriſium virginis abditæ
Cuſtodem pavidum Juppiter & Venus
Riſiſſent: fore enim tutum iter, & patens
Converſo in pretium deo.

Porro per Jovem in aureum imbrem converſum, nil aliud ſapiens antiquitas ſignificare voluit, quam auri vim; qua vel cuſtoditiſſima quæque pudicitia corrumpi valeat: quod aptiſſime Horatius ea voce *pretium* declaravit. Qui Ardeam a Danae, & Perſeo, ejus ex Jove filio, conditam, ſcripſere auctores, iidem *Daunia regna* Ardeatem Rutulorum ditionem nominavere; nutantes veluti in prima ſua, de origine hujus urbis, ſententia; perinde ac ſi, a Dauno rege Ardeam Rutulorum regni principem urbem conditam fuiſſe, exiſtimaverint. Siquidem Pilumnus, qui primus hoc nomine eo loco ubi poſtea Ardea, regnavit, ex Danae filia Acriſii, ad eam oram præcipiti delata Noto, Daunum generaſſe perhibetur. Cum enim in Apulia primo regnaret, Acriſium metuens, cui tunc magna ex parte Apuliam paruiſſe memorant, in Rutulos migravit; ubi cum filio Dauno in Rutulis nato, Ardeam condidit. Neque tamen idcirco Apulam ditionem Daunus omiſit. quin immo, pacatis rebus, ibi quoque regnavit; & regionis parti cuidam *Apuliam Dauniam*, & fluvio ibidem

Dau-

Daunus nomen fecit. Hic idem filium genuit, cujus nomen incertum eſt; fuitque avus Dauni ſecundi, proavus Turni. Porro, juxta hos auctores, Daunus alter nepos prioris, vel filius, ut alii tradunt, ex Venilia ſorore Amatæ uxoris Latini regis, multos filios ſuſcepit. ex quibus Turnum, & filiam, quæ Diomedi in uxorem data eſt. Unde & vicini Lanuvii ab Diomede origo confirmatur. quamquam alii contra, Turnum Dauni primi filium, & nepotem Pilumni fuiſſe, aſſeverarunt. Quod, ex pluribus Pilumnis & Daunis Rutulorum regibus appellatis, obſcurum atque incertum maxime fit. Itaque de Rutulis, ſive Ardeatibus, Virgilius: *r*

r *Lib.* 8.

Gens eadem, quæ te crudeli Daunia bello
Inſequitur:

& libro duodecimo:

Sunt tibi regna patris Dauni, ſunt oppida capta
Multa manu.

Hunc Silius religioſe, ut ſemper, ſecutus: *ſ*

ſ *Lib.* 8.

Faunigenæ ſocio bella invaſere Sicano
Sacra manus Rutuli, ſervant qui Daunia regna,
Laurentique domo gaudent & fonte Numici.

Atque alibi ſæpe hic poeta Romanos ipſos, a Latinis, Rutuliſque illis immixtis, oriundos, *Dauniam pubem*, aut quid ſimile nominare conſuevit.

Ceterum, ex opinione eorum a quibus eam de Danae hiſtoriam Hyginus & Apollodorus accepere; cum numquam Danae in Italiam venerit; Ardeam ab illa conditam fuiſſe, minime probandum eſt. Alii igitur alium conditorem Ardeæ prodidere. Dionyſius *t* ex Xenagora, *Xenagoras*, inquit, *hiſtoricus tradit, Ulyſſis & Circes tres fuiſſe filios, Romum, Antiam, atque Ardeam: hos conditis tribus urbibus a ſe impoſuiſſe nomina.* Et Stephani Breviator *Ardea*, inquit, *oppidum Italiæ; teſte Strabone*

t *Lib.* 1. *Antiq. Rom.*

bone libro quinto. Nomen accepit ab uno filiorum Ulyſſis, atque Circes. Hæc Troja vocabatur, ut auctor eſt Charax. Quæ tamen poſtrema verba non de ipſa urbe Ardea, quæ *Troja* umquam vocata ſit, verum de loco in agro Laurenti partim, partim Ardeati, in quem primum a mari Æneas deſcendit, ut vera ſint, accipienda profecto ſunt. Ex his omnibus habes, adeo vetuſtam incertamque Ardeæ urbis originem eſſe, ut antiqui ipſi ſcriptores ad fabuloſum vetuſtiſſimum ſæculum ejuſdem primordia contulerint: eaque nunc de Danae, nunc de Circe fabulis, atque commentis obvolverint. Certe Strabo *antiquam* tantum Ardeam, ſine conditoris mentione, dixit: Ἀβοριγῖνες οἱ περὶ τὸν Ῥῶμον, καὶ Ῥοῦτολοι οἱ τὴν ἀρχαίαν Ἀρδέαν ἔχοντες. *Aborigineſque, qui circa Romam incolebant; & Rutuli, qui antiquam tenebant Ardeam.* Alia eſt de hujus urbis nomine fabula; illam, ſcilicet, ab ave *ardea*, nobis *airone* aut *aghirone*, nomen mutuatam. Eſt autem avis ardea multiplicis generis, ſcilicet pulla, alba, ſtellaris, paluſtris, de qua Virgilius *u*: u *Georgic. l. 1. v. 364.*

— — — — — — — — — *notaſque paludes*
Deſerit, atque altam ſupra volat ardea nubem.

inde ardea dicta, quod *ardua*, h. e. *ſublimis, excelſa* volatu fertur. Hæc Græcis ἐρωδιὸς appellatur, unde in Pſalmis *x: Herodii domus dux eſt eorum; montes excelſi cervis, petra refugium herinaciis.* Loca nempe altiſſima, abrupta, & maxime invia, qualia pro nidificando eligunt herodii, ſcilicet ardeæ aves, cervi, atque herinacii. Itaque de Ardea urbe Virgilius idem: x *Pſal. 103. v. 19.*

— — — — — — — — *Locus Ardea quondam*
Dictus avis, & nunc magnum manet Ardea nomen.

Et fabuloſius adhuc Ovidius, *y* ardeam avem in hujus urbis veluti fundamentis occultatam, tum demum, cum a Trojanis, interfecto Turno, urbs eadem capta eſt, atque incenſa, mediis e ruinis atque y *Metamor. lib. 14.*

in-

incendio evolaſſe, & cognitam primo fuiſſe, quæ urbi latitans nomen dederat, lepidiſſime commentus eſt:

-- -- -- tandemque Venus victricia nati
Arma videt; Turnuſque cadit; cadit Ardea, Turno
Soſpite, dicta potens. quam poſtquam barbarus enſis
Abſtulit, & tepida patuerunt tecta favilla;
Congerie e media tum primum cognita præpes
Subvolat, & cineres plauſis everberat alis.
Et ſonus, & macies, & pallor, & omnia captam
Quæ deceant urbem, nomen quoque manſit in illa
Urbis: & ipſa ſuis deplangitur Ardea pennis.

Quibus tamen ultimis verbis innuere videtur poeta, avem potius ex incendio urbis natam nomen ſuum ab urbis nomine traxiſſe, quam e contrario. Sed fabuloſiſſimi hominis auctoritatem in hiſtoria nihil moramur. Vel itaque ab ardea ave, eo loco forte ab conditoribus hujus urbis viſa, vel ab Ardea Ulyſſis & Circes filio conditore ipſo, urbs hæc nomen acceperit; nihil moror: numquam enim pro alterutra fabularum, velut ſi de caprina lana, ut eſt in proverbio, rixarer, ſanum me pugnaturum, ſancte polliceor. Hyginus quidem ab augurio per aves captato, Ardeam hanc urbem appellatam, tradit; cum tamen, niſi de ardea ave intelligas, nominis ſimilitudo inter *augurium* & *ardeam* minime appareat. Si vero de ave ardea, per quam captatum a conditoribus hujus urbis augurium fuerit, (quod tamen Hyginus non exprimit) intelligendus ſit; in idem ejus ſententia recidet ac quod modo commemoravimus: ſcilicet, viſa ardea ave colli inſidente, ibidem a conditoribus hanc urbem fundatam, Ardeamque inde denominatam fuiſſe. Sunt etiam qui ab *ardore*, quo ſitus hujus urbis & regionis, æſtivis maxime temporibus,

ribus, flagrat impotentiſſime, *Ardeam* ipſam dictam memoraverunt. Utque ſuam aliquo veterum teſtimonio ſententiam confirment, Martialis illud, vix adhuc a Commentatorum & Interpretum ullo bene deſcriptum, atque intellectum Epigramma in medium adducunt: z

z *Lib. 4. Epigramm. 60.*

Ardea ſolſtitio Caſtranaque rura petantur,
Quique Cleonæo ſidere fervet ager;
Cum Tiburtinas damnet Curiatius auras,
Inter laudatas ad Styga miſſus aquas.
Nullo fata loco poſſis excludere. cum mors
Venerit, in medio Tibure Sardinia eſt.

Exemplaria quamplurima non quidem *Caſtranaque*, verum *Pæſtanaque* habent: nos tamen cum eruditiſſimo accuratiſſimoque Cluverio *Caſtrana* potius legendum eſſe, validis admodum argumentis oſtendemus infra, cum de *Caſtro Inui*, Ardeatem inter atque Lanuvinum agros, ſito, loquemur. Nonnulli etiam ſcriptores hæc Martialis carmina referentes, *Pæſtanaque rura petuntur*, non *petantur*, tranſcripſere; male admodum & perperam; dignumque veluti patella operculum appoſituri adjunxere; Romanos Martialis ætate Ardeatinum agrum ad ruſticandum petere ſolitos fuiſſe in ſummis æſtivis caloribus. Quod & falſiſſimum, & abſurdiſſimum eſt. Ardea namque, & antiquitus, & per hæc tempora inſalubri maxime cæli plaga ſita, & ejus circa ager omnis, ob maris æſtuantis alluviones, quæ paludes efficiunt, ob cæſas magnam partem, quæ antiquitus ibidem erant, ſilvas, ob meridionales atque auſtrales ventos, quibus obvertuntur, ob infrequentiam denique colonorum, multis jam ab hinc ſæculis deſtituta, & ſqualentia ſunt. Quare, tum per æſtatem, tum per autumnum, non modo nulli ad hæc loca ob ruſtican-

dum accedunt; verum illi ipſi qui reliquo anni tempore in iis incolunt, æſtate jam ferveſcente, ad ſalubriora recedunt, nonniſi adulta jam hieme reverſuri. Qui vero, exiguo ſatis numero, coloni ad domorum agrorumque & pecorum cuſtodiam, neceſſitate compulſi, remanent per æſtatem & autumnum in Ardeatino, quotannis præ aeris gravitate non pauci deficiunt; omneſque reſidui, fere, peſſima valetudine laborant: licetque in eorum macilentis ac pallentibus vultibus cæli inſalubritatem intuenti cuilibet continuo legere. Itaque Martialis in his carminibus legitima profecto hæc eſt ſententia: *Cum Curiatius Tibur profectus, valetudinis gratia, æſtivis temporibus, ut convaleſceret, ex ſaluberrimi Tiburtini aeris afflatu aquiſque vel Albulis, vel Anienis, vel aliis tandem, quæ Tibur aquæ fertile perfluunt; cum, inquam, Curiatius inter auras aquaſque Tiburtinas, æſtate ceteroquin ſaluberrimas, nihilo tamen minus mortuus ſit; mortemque invenerit, ubi ægris corporibus ſanitas & vita reſtitui ſolet; parcere poſſumus cautelæ quam adhibemus, o Romani, ne ſolſtitii tempore* (æſtivum ſemper ſolſtitium veteres cum hanc vocem uſurparunt, intellexere; ſiquidem hiemale non illi *Solſtitium*, ſed *Brumam* dicebant) *inſalubre adeo Ardeæ cælum & ſolum, & Caſtri Inui Ardeæ proximi, & Antiatini littoris agros, & rura, ad ruſticandum, petamus. fata enim neque in Tiburtino ſaluberrimo aere morari poſſumus; qui aer idem, cum conſtitutum moriendi tempus advenerit, adeo inutilis ad mortem prohibendam deprehenditur, velut ſi pinguis & morboſus peſtilentis Sardiniæ inſulæ aer eſſet. Perinde igitur ad cavendam, ſeu differendam mortem, erit, Ardeæ loco peſtifero, an Tibure cælo ſaluberrimo per æſtiva tempora ruſticemini.* Quæ veriſſima ſententia pulcherrimæ Horatii ſententiæ conſonat, ajentis: *a*

a *Od.14. l.2.*

Fruſtra per autumnos nocentem
Corporibus metuemus Auſtrum.

Non

Non ignoramus, vere atque hieme Romanos Ardeatino delectatos; cum vix ſit, ubi plus tepeant hiemes; nonnullorumque prædia in hoc agro olim ſita, infra ſuo loco, recenſebimus. Quid ſi ab arduo & ſublimi loco, quo primum eſt condita, & nunc quoque ejuſdem veſtigium exſtat, *Ardea*, quaſi *Ardua*, urbem hanc fuiſſe denominatam quis diceret? Veris profecto ille ſimillima conjectaſſet. Ceterum *Ardea* urbs, cives & populi Græcis quidem Ἀρδεάται, Latinis *Ardeates*; reliqua vero ad Ardeam pertinentia *Ardeatina* dicta ſunt. Nam & Senecæ *b Ardeatinus ager*, & Livio *c Ardeatinum fœdus*, & Cornelio Nepoti, aureo illi hiſtorico, Ciceronis æquali, in vita T. Pomponii Attici, *Ardeatinum prædium* commemorantur. Illud profecto mirandum quam maxime; tot poſt ſæcula, poſt tot bella, totque rerum humanarum viciſſitudines, veſtigia adhuc hujus urbis exſtare; immo idem loco nomen, quod perraro accidit, in hanc uſque diem perduraſſe. Siquidem, ut initio ajebam, viſitur nunc quoque Ardea in colle ſita, Antium inter, Lanuvium, Laurentum oppida, & Numicium amnem; diſtatque a mari tria circiter millia paſſuum; ab urbe Roma vero per viam quæ ab ipſa diu *Ardeatina* dicta eſt, paſſus, plus minus, viginti mille. Verum quidem eſt, nihil in hac Ardea vetuſtæ majeſtatis & frequentiæ ſuperfuiſſe; cum nonniſi oppidulum, ſeu potius caſtellum, ſit infrequentiſſimum, & vix aliquot tuguriis conſtans, in quibus vicinorum agrorum coloni inſaluberrime degunt. Nihilo tamen minus, nondum (quod in aliis plurimis vicinis oppidis factum eſt) nondum, inquam, periere ruinæ, & magnum adhuc manet Ardea nomen. Ditionis illud quidem Romani Pontificis eſt; verum ab ipſo quondam Romanis regulis traditum; quibus in idem eſt jus & in vicinos a-

b *Ep.* 105.

c *Lib.* 4.

gros circa. Columnenſium generoſiſſimæ Romæ gentis olim fuit; nunc ad Cæſarinos, quorum & Cynthianum oppidum, haud ita procul ſitum, tranſivit. Plinius, aliique ſcriptores, fere omnes, Ardeam inter maritima ſeu littoralia Latii oppida videntur annumeraſſe; cum tamen Strabo in mediterraneis eam recenſuerit. quippe quam a mari ſtadia ſeptuaginta duo diſtaſſe tradidit; quæ Romana antiqua milliaria, commodum, novem Strabonis ætate ſub Auguſto, conficiebant. Verum in Strabonis codicibus, mendum, quod in errorem permultos ex recentioribus ſcriptoribus traxit, irrepſiſſe, manifeſtiſſime deprehendimus; cum Ardeæ ſitum ac nomen antiquum loci, tribus tantum a mari milliariis diſtare, nuper ipſi coram accedentes, oculatique teſtes, perſpeximus. Neque dubitare ullus prudenter poſſit, num vetus Ardea eodem prorſus loco quo præſens ſita eſt, condita fuerit. Nam præter quam quod nominis ejuſdem ad eumdem locum probandum vis ſemper eſt magna; & trium milliariorum quibus antiquam Ardeam a mari diſtaſſe Plinius, aliique ſcriptores plurimi tradiderunt, longitudo, quæ eadem recenti eſt Ardeæ a mari diſtantia, veritatis validiſſimum ſit argumentum; rupes undique deciſa, in qua veteres antiquam Ardeam conſtitutam memorant, noſque præſentem Ardeam cernimus ædificatam, nullum jam dubio locum relinquit. Cum in omni circumquaque planicie nulla, præter hanc, ſeſe offerat rupes ardua, quæ antiquæ Ardeæ ſedem præſtitiſſe dubitari poſſit. Ceterum Ardeæ ſedes non tantum a natura munita per arduam rupem fuit; verum etiam ab arte, quam maxime. Siquidem ingentium murorum molibus rupe ipſa ſuper impoſitis concludebatur; quorum e vivo prægrandi ſecto quadratoque lapide conſtructorum non obſcura etiam hodie veſtigia viſuntur.



Prospectus arduae rupis et murorum Vetustissimae Urbis Ardeae in Meridiem et Occtem. Solem spectantibus

Prospectus arduae rupis, supra quam nunc et olim Ardeae Urbis moenia constructa sunt, in Septemtriones spectantibus.

tur. Latissima insuper fossa undique excavata altissime cingebatur, quam aquis antiquitus eo derivatis oppletam facile cognoscas. Aggeribus quoque, externisque aliis murorum munimentis vallatus situs ipse urbis fuisse, vel ex ipsis, quæ nunc supersunt reliquiæ, satis apparet. Unde merito inter potentes urbes ac magnas a Virgilio Ardea numeratur, carminibus quæ infra opportunius in medium adducemus. Cum autem rupes cui sedet Ardea, mille tantum passus, ac vix quidem, gyro complectatur; sunt qui veterem Ardeam, de cujus magnitudine ac potentia tot tamque præclara ab scriptoribus memorantur, multo ampliorem fuisse autument; rupemque ipsam, quasi umbilicus urbis atque arx esset, laxioribus multo spatiis circa se urbana ædificia complexam fuisse, credant. quorum adhuc rudera ingenti mole circa rupis fossas remanent. Cui sententiæ, utpote conjectura tantum suffultæ, neque repugnaverim, neque subscripserim; suburbia enim extra rupem longo tractu ædificata tum *villarum* tum *urbis* nomine peræque commoda appellatione vocaveris. Pomœrium quidem Ardeæ circumductum, quod spatium erat certum intra muros & extra, sacrum, & ædificiis atque cultura omni vacuum, Varro meminit libro de Latina lingua quarto, idemque cippis distinctum asserit. *Cippi pomœrii stant & circum Ardeam & circum Romam.* Hi autem cippi, lapides erant dimidiarum instar columellarum, in quibus velut in aris veteres Latini sacrificabant, ut videre est apud Alexandrum Donatum in eruditissimis Romæ Veteris & Recentis Commentariis. Et hæc quidem de Ardeæ Conditoribus & situ dicta sufficiant.

CA-

CAPUT II.

De Turno, aliisque Ardeatium Regibus.

QUAMQUAM Ardeatium Reges, Turnusque in primis, mille fabularum involucris obvelati a vetustissimis scriptoribus, præsertim vero a poetis, incertissimæ famæ atque historiæ nomina fuerint; nihilo tamen minus, me operam minime lusurum existimavi, si ea quæ vel ab ipsis fabulatoribus de iisdem memoriæ prodita fuere, hic brevibus recenserem. Quare, quamcumque tandem Ardea originem duxerit; certe, Ardeæ, a primis usque exordiis, regnatum est. Hæc enim primorum vetustissimorum temporum fuit consuetudo, ut qui aliquam urbem condidisset, in eadem ferme summum imperium teneret; insignibusque, ac regis nomine idem uteretur. Et Ardeæ quidem Daunum primum omnium regnasse, illi memoriæ prodiderunt qui eumdem Conditorem urbis dixere. Quam Maro quoque sententiam secutus videtur, cum ex Latini regis persona de Turno hæc memoravit: *a*

a *Lib.* 12. *v.* 23.

Sunt tibi regna patris Dauni, sunt oppida capta
Multa manu.

Daunum enim hic tamquam regni auctorem appellat. Quod etiam multo magis facit, quoties Rutulorum oppida *b* vocat *regna Daunia*, & *c* Rutulos *gentem Dauniam*, & Ardeam *urbem Dauni*; quemadmodum & Silium Virgilii imitatorem pluribus feciſſe locis, superiori capite memorabam. Ab Auctore namque, Conditore, & primo omnium Rege, regna ipsa, populi, atque urbes denominari consuevere. Attamen Virgilius idem, Pilumnum primum omnium Ardeæ

b *Lib.* 8. *v.* 146.

c *Lib.* 10.

re-

regem fuiſſe, alibi videtur innuere. Siquidem, licet Ardeatium regnum vocet *regnum Daunium*, & Rutulos *gentem Dauniam*; nihilominus, Daunum Turni tantum genitorem fuiſſe, refert; cum Pilumnum modo Turni parentem, modo avum, modo etiam quartum patrem, ſcilicet abavum, appellaverit. Et parentem quidem Turni Pilumnum appellat ſic: *d*

d *Lib.* 9. *v.* 1.

Atque ea diverſa penitus dum parte geruntur,
Irim de cælo miſit Saturnia Juno
Audacem ad Turnum. Luco tum forte parentis
Pilumni Turnus, ſacrata valle ſedebat.

Mox, in Junonis contra Venerem oratione, Pilumnum Turni avum dicit: *e*

e *Lib.* 10. *v.* 74.

Indignum eſt, Italos Trojam circumdare flammis
Naſcentem; & patria Turnum conſiſtere terra,
Cui Pilumnus avus, cui diva Venilia mater.

Denique ex ejuſdem Junonis perſona ad Jovem pro Turno orantis, Pilumnum Turni quartum patrem nominat:

-- -- -- quin & pugnæ ſubducere Turnum,
Et Dauno poſſem incolumem ſervare parenti.
Nunc pereat; Teucriſque pio det ſanguine pœnas.
Ille tamen noſtra deducit origine nomen:
Pilumnuſque illi quartus pater.

Quæ inconſtantia (ſi tamen poeticorum figmentorum rationem reddere aliquis non vane ſuſcipit) multiplicem originem habuiſſe poteſt. Vel enim de diverſis Pilumnis, de alio alio loco, vates locutus eſt; ut, ſcilicet, unus avus, alter abavus Turni fuerit; & Daunus ipſe Turni genitor Daunus Pilumnus fuerit appellatus. Quæ Servii Grammatici, in ſuis ad Virgilium Commentariis, ſententia fuit. Ait enim Servius, omnes Rutulorum reges, qui Ardeæ regnaverant, Pilumnos a primo rege Pilumno cognominatos:

ut

ut in Romanis Imperatoribus de *Cæsaris* nomine ab Julio derivato accidit; & in quamplurimis aliis regnis usuveniſſe ſatis conſtat. Puta Ptolemæis Ægyptiorum, Dariis Perſarum, Antiochis Syrorum, aliiſque. Vel Pilumnus vere rex Rutulorum unicus, & proprie Turni quartus pater fuiſſe a Poeta cenſetur; & nomina *parentis* atque *avi* eidem nonniſi improprie, figurate, & per poeticam ſolum licentiam appingit: eo ſane more quo majores noſtros, quocumque tandem nos conſanguinitatis gradu contigerint, ac præiverint, omnes *parentum* atque *avorum* nomine compellare promiſcue, vulgo etiam conſuevimus. Itaque de Pilumno Rutulorum rege antiquiſſimo, ac primo, qui Ardeæ regnaverit, fabuloſorum ſæculorum hæc narrat hiſtoria *f*. Fuiſſe nempe illum Jovis filium; incertum tamen, qua ex matre editum; ſimulque cum Picumno fratre Ardeæ regnaſſe; cumque illo ſimul, ab exceſſu, pro deo cultum ab Ardeatibus templo & luco. Porro *Pilumni* nomen habuit ob inventum *pili* uſum in comminuendo frumento, totamque pinſendi artem; Picumnum vero fratrem, ob inductum terræ ſtercorandæ morem, etiam *Stercutium* appellatum, aliqui tradiderunt. quamvis Stercutii nomen & inventum Saturno plerique omnes tribuant. Pilumnus & Picumnus iidem dicti ſunt conjugales dii; iiſdemque, ſtatim ut natus erat infans, lectus in atrio domus, honoris cauſſa, ſternebatur, teſte Varrone apud Nonium: quare ipſos etiam aliquid eorum quæ ad conjugia, puerorumque inſtitutionem pertinent, reperiſſe, crediderim. Ceterum, de divina Pilumni origine apud ipſos fabulatores minime convenit. quamquam enim Maro cum divis Pilumnum commercia habuiſſe referat; ac proinde ab Orithyia Erechthei Athenarum regis filia, rapta in Thra-

f *Ap. Ruæum in Virg. Æneid. l. 10. v. 76.*

Thraciam a Borea, & a Thracibus pro dea habita, equis velociſſimis donatum g fuiſſe, & ex Junonis perſona a diis majorum gentium, ſive diis magnis, Jove, puta, Junone ipſa, Marte, Venereque, & aliis originem Pilumnum eumdem traxiſſe, confirmet; non tamen, (quod alii ſcripſerunt) eum Jovis filium ab eodem poeta dici, ut credam umquam adducar. Hoc namque minimum Junonis orationi conveniſſet. Neque carus eſſe potuit Junoni, ſtirps Pilumni, Turnus; ſi Pilumnus ipſe Jovis filius, ex pellice, certe Junonis rivali, fuiſſet. Neque tot tantaque Juno ipſa pro Turno prudenter molita diceretur a poeta, ſi a notho ſuo Pilumno Turnus ſanguinem traxiſſet. Cum e contrario, in omnem ſobolem ex pellicibus Jovi natam, ipſaſque pellices, Herculem, puta, Io, aliaque fabuloſa nomina, tam trucem tamque vehementis ac perpetuæ iræ Junonem eamdem exſtitiſſe, fabulæ omnes ſemper commemoraverint. Verum de his hactenus. Nunc de Turno Ardeæ rege ultimo eorum, qui Rutulorum ſeparatim a Latinis regnum obtinuerint, ea recenſebimus quæ Virgilius idem commentus eſt. Quamvis enim hæc eadem quamplurimis immixta fabulis ſint, noſque hiſtoriam ſcribamus; fieri tamen minime poteſt ut hiſtorico antiquiſſima quæque Latinarum urbium monumenta perſequenti hæc quoque non attingantur. Nam licet & ficta fuerint plerumque, & fabuloſa; tamen & veris quibuſdam principiis, quaſi fabularum fulciendarum fundamentis, ea innituntur; & poſteri ad eadem, tamquam ad vera reſpicientes, quamplurimas res geſſere. urbes condiderunt, ac templa; ſacerdotes, & ſacra inſtituerunt. quorum omnium exactam numquam cognitionem aſſequaris, ſi fabuloſa eorumdem hæc exordia prætereas. Turnus, itaque, Ardeæ Rutulorum

g *Lib.* 12. *v.* 83.

urbis principis, intra Veteris Latii fines, rex erat, quando Æneas cum Trojanis ſociis ad Latinas oras advenit. Turno Daunus & Venilia parentes fuerunt. deorum utrumque commercio dignatum, memorant. Daunus quidem a Vulcano donatus enſe, quo deinde Turnus filius contra Æneam uſus eſt; Venilia vero divarum ſive dearum cœtibus accenſita. A præclariſſimis uterque majoribus orti; immo divinis. Unde Turnus avis ataviſque potens dictus eſt. Porro dum Æneas ad Latinas oras appuliſſet; Latinus illic Aboriginibus imperabat, qui ab ipſo rege *Latini* poſtea gens univerſa appellati. Huic unica erat filia Lavinia; quam, licet Fauni oraculis externo marito deſtinaviſſet; tamen Amatæ reginæ uxoris, & Laviniæ ipſius matris, voluntati morem geſturus, Turno Rutulorum regi deſponderat. Mittit interea Æneas oratores Laurentum, urbem Latini regiam, atque Aboriginum regni principem ſedem, ut Latina terra liceret ſibi cum ſuis conſiſtere, amicitiæque cum rege fœdera inire. Latinus Æneam non modo in ſocium, ſed oraculi memor, etiam in generum admittit. Contra, Amata regina infernis furiis agitata Laviniam filiam abſcondit in montibus; Turnum deinde furiis iiſdem agit in bellum, & Trojanos Latinoſque committit invicem. Omnibus tamen bellum frementibus ac poſcentibus, unus rex Latinus opponebatur; donec divinitus, veluti fatis id petentibus, bellum idem ipſe permittere coactus eſt. Tunc vero ad Turnum ex omnibus Italiæ partibus auxilia confluere. Mezentius rex Hetruſcorum cum Lauſo filio, Catillus & Coras cum Tiburtinis, Cæculus cum Prænestinis, Gabinis, Hernicis, Anagninis; adeſſe Atinates, Antemnates, & Cruſtumerii, aliique populi quamplurimi, ex Latio præſertim atque Campania. Quibus nihilominus haud

ſatis

ſatis fretus, Venulum Turnus ad Diomedem, qui tunc in Apulia regnabat, miſit, ut eum ad belli ſocietatem alliceret. Æneas contra ab Evandro Arcade in Palatino colle Evandriam urbem tenente, ubi poſtea Romæ cunabula fuere, quadringentos equites petitum ſubſidium accepit; quibus Pallas juvenis Evandri unicus imperitabat. Conſiliis quoque Æneam juvit Evandrus; cum enim, Tyrrhenos finitimos, Mezentio expulſo, de novo ſibi præficiendo rege agitare, Trojano duci narraſſet; in ſpem non modo auxilii indidem adverſus Turnum ciendi, verum regni ipſius Etruſci potiundi adducto facile perſuaſit, ut parte altera copiarum ſecundo flumine ad ſuos remiſſa, cum altera ipſe Tyrrhenos adiret. Inter hæc Turnus Æneæ abſentiam opportuniſſimam rei gerundæ ratus, in novæ Trojæ ſubitario opere ab Æneæ ſociis excitatæ munimenta impetum facit. verum cum Trojani ex ducis præſcripto munimentis ſeſe tenerent, nec uſquam feroci Turno pugnæ facerent copiam; hic eorum naves oppidi lateri admotas abſumere incendio tentat. illæ tamen miraculo peſtem effugere. Tum Trojani, de revocando per nuncios Ænea ſolliciti, dum inter ſe conſultant; eam provinciam Niſus & Euryalus amicorum par nobile ſponte ſuſcipiunt: laudati ab Aſcanio, dimiſſique, cædem Rutulorum, nocte, magnam fecere. Dum tamen eorumdem ſpoliis induti pergerent porro, a Latinis equitibus intercepti occiduntur. Capita haſtis affixa & in caſtris erecta ingentem in oppido Trojano luctum excitavere. Turnus oppugnationem mane inſtaurat; dumque Trojani reſumtis animis portas pandunt, & ſubeuntes Rutulos vi magna propellunt; Turnus facto impetu intra munimenta tandem irrumpit. Sed clauſis portis, hoſtium multitudine circumventus, cum paullatim in

eam quam Tiberis alluebat, oppidi partem receſſiſſet; ut erat armatus, in flumen deſiliens, natatu incolumis, non ſine divino numine, ad ſuos gratulabundos reverſus eſt. Rutuli fatis acti, nec iiſdem agitati minus Trojani, iterum congrediuntur; hi viribus omnibus defendentes, oppugnantes illi novam urbem omni conatu: Æneas vero dies aliquot in Etruria commoratus, collectis inde auxiliis, ad ſuos dum rediret, divinitus de ſuorum periculo certior fit. Quare luce prima in conſpectum hoſtium provectus exercitum in littus exponit: concurritur utrimque ſtrenuiſſime; in eoque certamine Turnus poſtquam Pallanta Evandri filium, atque Arcadum ducem, conſodiſſet; ſeque ejuſdem ſpoliis ornaſſet; capitis proculdubio ab Ænea diſcrimen erat jamjam ſubiturus; daturuſque pœnas, niſi divinitus ſalutaribus præſtigiis ludificatus, exitium præſentiſſimum evaſiſſet. Mezentius, pugnæ pro Turno ſuccedens, & filius Mezentii Lauſus, ab Ænea occiſi. Poſt hæc, miſſi ab Latino rege legati duodecim ad Æneam, duodecim dierum inducias orantes. quibus impetratis; ex utraque caſtrorum populorumque parte curata ſuorum interfectorum funera. Venulus interea, quem Turnus ad Diomedem Arpis in Apulia regnantem auxilia petitum miſerat, nullis ſuaſionibus conditionibuſve Diomedem ad bellum contra Æneam ſuſcipiendum adduci potuiſſe, refert. Qua ſpe deſtitutus rex Latinus, convocato ſuorum concilio, legatos ad Æneam, qui de pacis conditionibus agerent, mittendos cenſuit. Regis ſententiam ceterorum omnium, præterquam Turni, approbatio ſecuta; magnaque & communis invidia in auctorem belli, & pacis fœdera detrectantem Turnum exarſit. quibus hic ſe ſe confeſtim exoneraturus, paratum ſe ſingulari certamine

cum

cum Ænea commune periculum redimere, magno conſtantique animo palam profeſſus eſt. Porro, dum in Latinorum Senatu cum ingenti altercantium fremitu, hæc deliberantur; ecce tibi trepidi nuncii in Curiam venere, Trojani exercitus expeditos equites, planis itineribus Laurento imminere; Æneam cum reliquis copiis, per loca montibus impedita, eodem contendere. Itaque, omiſſis conſultationibus, & rixis, Turnus, cognito Æneæ conſilio, ſuas ipſe pariter copias bifariam dividit; equites ſub Camilla & Meſſapo Volſcorum ducibus diſpoſitos Trojanis opponit equitibus: ipſe, cum ceteris, montium anguſtias occupat, hoſtem rivalemque inſidiis circumventurus. Commiſſo tamen equeſtri prœlio, Camilla occiditur ab Arunte: cujus nece conſternati Rutuli terga dedere. Turnus calamitatis nuncio accepto, confeſtim inſidiarum anguſtiis relictis, in auxilium ſuorum accurrit. Eodem ſubſecutus Æneas. verum, adventante jam nocte, caſtra ante urbem utrimque munita ſunt. Fractis tamen gemina pugna ac maxime cruenta Latinorum viribus, copiiſque acciſis Turnus ſuorum jam parum fidens, univerſique exercitus invidiam non ferens, ſingulari cum Ænea certamine, de rerum ſumma diſceptare conſtituit. Solemni ad id ſacramento conditiones certaminis, fœduſque, a Latino, Ænea, Turnoque ſimul, ſancita ſunt. Juturna vero Turni ſoror, fratris mortem male ominata, ſi ad ſingulare cum Trojano certamen deſcendiſſet, omnibus illud artibus impedire ac diſturbare conata eſt. Primo itaque Tolumnio cuidam auguri perſuadet, ut, falſo augurio, victoriam ſuis pollicitus, ad aggrediendos Trojanos, fœderum religionibus ſpretis, facto agmine incurrant. Hae ſpe erecti Latinorum animi, confuſum fœdus, & pugna inita. in qua cum atrociſſi-

me

me dimicaretur utrimque; Æneas, (incertum a quo) ſagitta vulneratus e prœlio excedere coactus eſt. quo abſente Turnus maximam hoſtium ſtragem edidit. Mox Æneas, divinitus vulneri medicina facta, prœlio reſtitutus, Turnum nominatim ad ſancitum ſingulare certamen vocat. Nec mora ſane ulla in Turno erat. Verum Juturnæ ſororis artibus impediebatur adhuc, & ab ea dimicatione, quam illa, vaticiniis pollens, exitialem ei atque ultimam prævidebat, avertebatur. namque, Turni auriga Metiſco de curru fratris excuſſo, ipſa, per præſtigias Metiſci ſpecie ſumta, Turnum ab Æneæ congreſſu, quam poterat longiſſime, diu abduxit. Æneas, admoto ad urbis Laurenti mœnia exercitu, in propugnacula flammas injecit. Hinc Amata Latini conjux, quæ ab Turno ſemper ſteterat, illum occiſum rata, ne generum ſibi implacabili odio inviſum Æneam habere cogeretur, laqueo collum eliſit. Turnus tandem, ne urbs in hoſtium poteſtatem veniret, ad ſingulare certamen redit. Pugnant acriter Æneas & Turnus. Verum Æneas victor, cum Turni immineret jugulo, jam jamque ipſius precibus motus ad miſericordiam inclinaret; viſo in ejus humeris Pallantis, Evandri regis Arcadum filii, a Turno interfecti, repente balteo, in novas accenſus iras, amicique ac ſocii manes ulturus, Turnum interfecit. Hæc fuſe Virgilius ſex poſterioribus Æneidos libris eſt perſecutus. Quæ, quamquam fabulis immixta, atque involuta omnia, plane poetice, fuiſſe, ſatis noverim; volui tamen brevibus recenſere, quod aliquo certe fundamento veritatis inniti, nullus addubitem; meque, dum de Ardeatium regibus & Turno peculiarem narrationem haberem, eadem præterire, nefas duxerim. Quinimmo non poſſum quin Turni ipſius Rutulorum regis interitum a poeta deſcri-

ſcriptum elegantiſſime, & quo præclariſſimo, & in omnes ætates commendatiſſimo operi colophonem veluti impoſuit, hic ſaltem ex parte ſubjungam. En illum: *h*

h *Virg. Æn. l. 12. in fin.*

— — — — — — — — — — Incidit ictus
Ingens ad terram duplicato poplite Turnus.
Conſurgunt gemitu Rutuli, totuſque remugit
Mons circum, & vocem late nemora alta remittunt.
Ille humilis ſupplexque oculos, dextramque precantem
Protendens; Equidem merui, nec deprecor, inquit:
Utere ſorte tua: miſeri te ſi qua parentis
Tangere cura poteſt, oro (fuit & tibi talis
Anchiſes genitor) Dauni miſerere ſenectæ;
Et me, ſeu corpus ſpoliatum lumine mavis,
Redde meis. vicisti, & victum tendere palmas
Auſonii videre: tua eſt Lavinia conjux.
Ulterius ne tende odiis. ſtetit acer in armis
Æneas, volvens oculos, dextramque repreſſit.
Et jam jamque magis cunctantem flectere ſermo
Cœperat: infelix humero cum apparuit ingens
Balteus, & notis fulſerunt cingula bullis
Pallantis pueri: victum quem vulnere Turnus
Straverat, atque humeris inimicum inſigne gerebat.
Ille, oculis poſtquam ſævi monumenta doloris,
Exuviaſque hauſit; furiis accenſus, & ira
Terribilis: Tu ne hinc ſpoliis indute meorum
Eripiare mihi? Pallas te hoc vulnere, Pallas
Immolat, & pœnam ſcelerato ex ſanguine ſumit.
Hoc dicens ferrum adverſo ſub pectore condit
Fervidus: aſt illi ſolvuntur frigore membra,
Vitaque cum gemitu fugit indignata ſub umbras.

Ceterum de Turno Livius hæc brevibus memoriæ prodidit *i*: *Bello deinde Aborigines Trojanique ſimul petiti. Turnus rex Rutulorum, cui pacta Lavinia ante adventum*

i *Dec. 1. ſub init. lib. 1.*

Æneæ

Æneæ fuerat, prælatum sibi advenam ægre patiens, simul Æneæ Latinoque bellum intulerat. Neutra acies læta ex eo certamine abiit. Victi Rutuli; victores Aborigines Trojanique ducem Latinum amisere. Inde Turnus Rutulique diffisi rebus ad florentes Hetruscorum opes, Mezentiumque eorum regem confugiunt; qui Cære, opulento tum oppido, imperitans, jam inde ab initio minime lætus novæ origine urbis, & tum nimio plus quam satis tutum esset accolis, rem Trojanam crescere ratus, haud gravatim socia arma Rutulis junxit. Æneas adversus tanti belli terrorem, ut animos Aboriginum sibi conciliaret, ne sub eodem jure solum, sed etiam nomine omnes essent, Latinos utramque gentem appellavit: nec deinde Aborigines Trojanis studio ac fide erga regem Æneam cessere: fretusque his animis coalescentium in dies magis duorum populorum Æneas (quamquam tanta opibus Hetruria erat, ut jam non terras solum, sed mare etiam per totam Italiæ longitudinem ab alpibus ad fretum Siculum fama nominis sui implesset) tamen cum mœnibus bellum propulsare posset, in aciem copias eduxit. Secundum inde prælium Latinis, Æneæ etiam ultimum operum mortalium fuit. Dionysius vero *k* Latino regi Aboriginum etiam ante Æneæ in Italiam adventum, bellum sæpe fuisse cum finitimis Rutulis narrat, ab eoque parum feliciter cum iis pugnatum. Ceterum, defuncto Latino, cum Æneas quartum jam annum regnaret in Latio, unumque ex Trojanis Aboriginibusque populum confecisset, *Latinos* dictum. Rutulos rebellasse iterum, contraque Æneam & Latinos arma sumsisse. Vocat autem Dionysius Turnum *transfugam Latinorum*, perinde ac si, de Latina, sive Aboriginum, gente esset; ac tamquam suorum proditor ad Rutulos defeciisset: quod valde iis quæ de Turno hactenus ex aliis scriptoribus memoravimus, contrarium est. En Dionysii verba: *Ceterum Æneas, postquam templis, ceterisque ornamenta-*

k *Lib.* 1. *Antiq. Rom.*

namentis abunde instruxit id (Lavinium) *oppidum, quorum pleraque duraverunt ad nostra tempora, sequenti quidem anno, hoc est, post discessum suum tertio, Trojanorum tantum rex fuit. quarto vero succedens defuncto Latino etiam illius regno potitus est; tum affinitatis jure, quod id esset Laviniæ patrimonium; tum quo ducem haberent, ardente bello ut cum maxime. Rutuli enim denuo defecerant ductu cujusdam transfugæ. is erat Turnus nepos Amatæ Latini conjugis: qui propter Laviniæ nuptias incusans socerum, quasi cognatus ipse posthabitus esset exteris, Amata quoque instigante, & aliis quibusdam faventibus, cum militum manu, cui præerat, ad Rutulos transierat. Ex his caussis redintegrato bello, & commisso acri prælio, Latinus cecidit, atque Turnus, cum multis aliis. Æneas tamen & victoriam consecutus est, & accessionem regni soceri: in quo, tribus annis exactis, post Latini obitum, quarto bellum gerens interiit. nam & Rutuli arma contra eum sumserunt populariter; & rex Tyrrhenorum Mezentius timens suæ ditionis oppidis, quod suspectam haberet crescentem magis ac magis Græcorum potentiam. Itaque pugnatum est acriter non longe a Lavinio, & multis utrimque desideratis, nox diremit prælium. Corpus Æneæ cum quæsitum nusquam compareret; alii conjectabant, eum discessisse ad deos, alii necatum in flumine, apud quod pugnaverant.* Hæc veteres scriptores de Turno. Ceterum, Rutulos ab Turni excessu, quamquam a Latinis subactos & inter Latinos accensitos, suos tamen reges, qui Ardeæ regnaverint, Latinis licet regibus tributa pendentes, habuisse, testis est Festus *l*. Ait enim, Lucerum sive Lucerium Ardeæ regem, Romuli æqualem, eidem cum suis auxilio venisse ad bellum adversus Tatium & Sabinos susceptum; *Luceresque* a rege Lucero fuisse appellatos. Verum de Lucerum nomine & gente, alia ab aliis auctoribus prodita. Siquidem Plutarchus in Romulo *Luceres* vel *Lucerenses* fuis-

l *de verb. signific. v.* Luceres.

ſe inquit, ex omni gente circa Romam populorum turbam, quæ in Romuli aſylum ſive *Lucum* confugerat; quia vel a patria quiſque ſua exſulabant, vel ſuorum regum tyrannidem ferre non poterant, *Luceres* forte a *Luco* aſyli, quo convenerant, appellatos. Varro *m* autem, & Sextus Aurelius *n* Victor, ex Junii vetuſtiſſimi Latini ſcriptoris ſententia, memorant; Luceres fuiſſe Hetruſcos, qui, duce Galerito Lucretino ſeu Lucumone, Romanis, adverſus Sabinos opem tulerint; & bello confecto Romæ remanſerint; *Luceres* ab ſuo rege appellati. Hos tertiam, tribus ex primis Populi Romani Tribubus, confeciſſe, Dionyſius *o* refert. At Livius *p* tertiam Luceres equitum centuriam dixit, eorumque incertam originem fuiſſe. Quare non eſt cur admodum Feſti ſententiæ innitamur, ajentis, Luceres a Lucero ſeu Lucerio, Ardeæ rege, Romuli æquali, denominatos. Certe, poſt Turnum nulli jam Ardeatium reges apud antiquos hiſtoricos nominantur. Turnum alium Herdonium Latinorum principem, atque adeo inter Ariciæ urbis, non Ardeæ, primores circa Tarquinii Superbi tempora, veteres annales apud Dionyſium memorant: de quo nos pariter opportune mentionem habebimus. Ceterum, Ardeæ poſt Turni Dauni filii regnum libera Reſpublica per electos, ſuffectoſque a civibus Magiſtratus, ſub Latinorum primo, mox ſub Romanorum tutela, diu proſpere adminiſtrata. Donec majeſtas ejus omnis & virtus ab Romanorum Republica atque Imperio penitus abſorptæ ſunt; agerque Ardeatinus, cum ipſa ſimul Ardea urbe, in Romæ quoddam veluti ſuburbium, ad quod per hiemem potiſſimum ruſticaturi delicati Romani diverterent, una cum reliquis Latii urbibus, plane conceſſit. Quæ autem memoratu digna Ardeatium Reipublicæ & Coloniæ accidere, ea nos ex hinc ordine complectemur.

m *De L. L. lib.* 4.

n *de vir. illuſtrib.*

o *lib.* 1. *Antiq.*

p *Lib.* 1. *Dec.* 1.

CA-

CAPUT III.

De Republica & Colonia Ardeatina.

POSTQUAM Latinorum regum, qui Albæ Longæ, ab Aſcanio Æneæ filio conditæ, ſedem habebant, leni amicoque imperio Ardea paruiſſet; Albanis a Tullo Hoſtilio rege, Romam, diruta Alba, traductis, Ardeates in Romanorum ſocietatem venere. Fueruntque Latinorum populorum pars præcipua ac nobilis. Magnam quidem atque potentem, vel quando ſub ſuorum regum vivebat imperio, fuiſſe Ardeatium urbem, Maroniani hi verſus fidem faciunt: *a*

Quinque adeo magnæ poſitis incudibus urbes
Tela novant: Atina potens, Tiburque ſuperbum,
Ardea, Cruſtumerique, & turrigeræ Antennæ.

a *Æneid.* 7. *v.* 630.

Quid rerum tamen per id temporis peculiariter domi bellique iidem geſſerint, nullum apud vetuſtos ſcriptores veſtigium, ad uſque L. Tarquinii Superbi Romanorum regis ultimi ætatem. Circa finem vero Tarquinii regni, bellum ab ipſo Ardeatibus indictum, Dionyſius *b* & Livius *c* memorant. Porro, cum nullum Ardeæ per id tempus regem ſcriptores hi nominaverint; ab Turni regis interitu Ardeatium regnum deſiiſſe, vehementer, ut credam, inclinor; ibidemque per electos Magiſtratus temporarios Rempublicam fuiſſe deinceps adminiſtratam. Illud quidem eſt certum; quod Ardeates Rutuli, teſte Dionyſio, erant per ea tempora Italorum fortunatiſſimi; idcirco gens, ut in ea ætate eaque regione, divitiis præ ceteris pollens. Hæc itaque Tarquinio indicendi Ardeatibus belli vera fuit cauſſa. quamquam honeſtam aliam prætexeret; nempe, quod Ardeates Romanos

b *Dionyſ. lib.* 4.
c *Liv.* 1. *in fin.*

exſules ſuſcepiſſent, atque foverent. Cum igitur rex Romanus tum ipſe ditari, exhauſtus magnificentia publicorum operum, quæ ingenti ſumtu excitanda Romæ ad eam diem curaverat, & popularium infenſos animos, ob exhauſtos in ædificiis labores, ſpe prædæ delinire ſperaret; ad Ardeam exercitum duxit. Multa jam, eaque præclara, Latinorum oppida Romanæ ditionis Tarquinius fecerat; unde Ovidius, ex Lucretiæ perſona, reſtaſſe Ardeam tamquam noviſſimum, ac omnium expugnatu difficillimum Latinorum oppidum, dixit his verſibus: *d*

d *Faſt. lib. 2. in fin.*

Quid tamen audiſtis? (nam plura audire ſoletis.)
Quantum de bello dicitur eſſe ſuper?
Poſtmodo victa cades: melioribus, Ardea, reſtas,
Improba, quæ noſtros cogis abeſſe viros.

Tentata res eſt, ſi primo impetu capi Ardea poſſet. ubi vero id parum proceſſiſſet; conſilium de illa obſidenda per regem captum. Itaque obſidione & munitionibus cœpti premi Ardeates. Longæque Romanorum in obſidendo patientiæ procul dubio tandem victi ſuccubuiſſent; niſi funeſtum Lucretiæ illius, celeberrimi non impune violatæ conjugalis pudicitiæ exempli, facinus interveniſſet. Cujus originem ſic Ovidius idem elegantiſſime: *e*

e *Ibid.*

Cingitur interea Romanis Ardea ſignis,
Et patitur lentas obſidione moras.
Dum vacat, & metuunt hoſtes committere pugnam;
Luditur in caſtris: otia miles agit.
Tarquinius juvenes ſocios dapibuſque meroque
Accipit. ex illis rege creatus ait:
Dum nos difficilis pigro tenet Ardea bello,
Nec ſinit ad patrios arma referre deos;
Ecquid in officio torus eſt ſocialis? & ecquid
Conjugibus noſtris mutua cura ſumus?

Per-

Pergitque totum violatæ Lucretiæ facinus deſcribere. Namque dum Ardea in iis ſtativis longo magis quam acri bello obſideretur; ex otio, ut aſſolet, comeſſationibus atque ebrietate libido Sexti Tarquinii, regis filii, natu maximi, exarſit; illumque Collatiam uſque, Latinorum, ſeu Sabinorum, proximam Romæ olim urbem, in ædes Collatini pertraxit; ubi, nequiſſimo intentato metu, infamis ei appingendæ calumniæ, cum Lucretiæ muliebre decus expugnaviſſet; iram odiumque, in primis ultoris Bruti, cognatorumque Lucretiæ, quæ dedecus ultura ſe ſe interemerat; mox univerſæ multitudinis, totiuſque Populi Romani in Superbum regem, nefariamque ſtirpem omnem, concitavit. Brutus, itaque, jure jurando Populum adſtrinxit, neminem deinceps regnare ſe Romæ paſſurum eſſe; Tarquiniuſque Superbus in caſtris ad Ardeam conſiſtens, regno ob ſua, filiorumque, nefaria & crudelia facta, merito cecidiſſe judicatus, perpetuo ab urbe Roma exſilio mulctatus, ac veluti Populi Romani publicus hoſtis ab omnibus conclamatus. Stirps quoque ejus omnis, pari cum Superbo genitore, judicio graviſſimo confixa. Quæ ubi ad Tarquinium in caſtra ad Ardeam perlata ſunt; admiſſis equis, re minime cum exercitu communicata, Romam cum filiis tantum, & amicorum fidiſſimo quoque contendit; naſcentem conjurationem, immaturamque adhuc & gliſcentem defectionem, tempori, ſe coram oppreſſurum fore, confidens. Verum, cum clauſas portas omnes Urbis offendiſſet; refertaque undique armatis mœnia; triſtis ac ingemiſcens Ardeam, ad exercitum, revertitur. Præverterant tamen iter diverſa via novi ac primi Conſules Brutus & Collatinus, datiſque ad caſtrorum præfectos T. Herminium & M. Horatium litteris, exercitum omnem de abroga-

rogato per Populum Romanum Tarquiniis regno certiorem fecerant. Movit nunciatorum ſcelerum indignitas æque milites, ac reliquum in Urbe populum moverat. Brutus itaque junioribus, qui ultro nomina dabant Romæ, lectis armatiſque, ad concitandum ipſe inde adverſus regem exercitum Ardeam in caſtra eſt profectus. Cumque regis ejuſdem adventum ſenſiſſet, viam flexit, eodemque fere tempore diverſis itineribus Brutus Ardeam, Tarquinius ad Romæ mœnia acceſſerunt. Quare exercitus Romanorum, qui ad Ardeam ſedebat, per Bruti concionem jam contra regem exarſerat; quando hic Roma reverſus ad caſtra pervenit. Expulſus igitur & ab exercitu non minus ac fuerat ab Urbe, Gabios cum paucis fugit; ubi filiorum maximum dolo malo regem jam conſtituerat; canus ipſe, viginti annorum exacto regno. Ceterum, Romani de novo Reipublicæ regimine conſtituendo magis quam de finitimorum bellis ſollicitari, auctoribus Bruto Conſule & Herminio Horatioque ducibus, quindecim annorum inducias cum Ardeatibus pacti, exercitum ab Ardea domum reduxerunt. Livius, Superbum non quidem Gabios, verum Cære in Hetruriam exſulatum abiiſſe, tradit. Hæc igitur obſidionis ejus ac belli finis. Anno deinde ab Urbe Condita trecenteſimo octavo, Tito Quinctio Capitolino *f* quartum, Agrippa Furio Coſs., præpoſterum ac minus honeſtum Romanorum de Ardeatino agro judicium Ardeates ad deficiendum a Romanis compulit. Itaque, cum Ardeates de ambiguo agro cum Aricinis finitimis ſæpe certaſſent; multis invicem cladibus feſſi, judicem Populum Romanum cœpere. Miſit proinde uterque populus Romam Legatos, qui in Senatu agri cauſſam orarent. Hi, ubi in Populi frequens concilium a Magiſtratibus ad id convocatum

f *Liv. lib. 3. in fin.*

catum veniſſent; magno conatu pro parte quiſque ſua ad judicem multitudinem verba fecere. Editi quoque utrimque ſunt teſtes, vocatæque Romanæ Tribus, & Populo data ſuffragia; ut, cujus maxime cognoviſſet id agri eſſe, ei civitati adjudicaret. Inter hæc, de plebe vir quidam magno natu, Publius Scaptius nomine, conſurgit; & *Si licet*, inquit, *Conſules, de Repub. dicere, errare ego Populum Romanum in hac cauſſa non patiar*. Vanus primo a Conſulibus Scaptius habitus, ac' ſilere; mox vociferans, cauſſam publicam prodi, ſummoveri de concione per lictores juſſus. Ille tamen Tribunos plebis appellans, cum verba ad Populum faciendi poteſtatem ab his accepiſſet; confirmat, ſe nunc tertium & octogeſimum annum agere, in eoque agro de quo male utique Ardeates & Aricini contendebant, cujuſnam eſſet, militaſſe; non quidem juvenem, verum viceſima jam ſtipendia facientem, annos ſcilicet natum, ut minimum, triginta ſeptem. (Romani enim decimo ſeptimo ætatis anno militiæ addicebantur, juſtamque miſſionem poſt viceſimum militiæ annum capiebant, ita ut poſt id tempus ad nomina danda compelli non poſſent. qui vero, rogati magis quam juſſi, in arctis Reipublicæ rebus, poſt eam militiam iterum militarent, *Evocati* peculiari nomine dicebantur.) Itaque Scaptius teſtari, eum agrum finium Coriolanorum fuiſſe; remque vetuſtate obliteratam, ſe memoriæ jamdiu infixam afferre, oculatumque ſemetipſum teſtem producere; quod in ea pugna, in qua ad Coriolos, deleto oppido, fuerat debellatum, adfuiſſet; mirari proinde, tantum oris Ardeatibus Ariciniſque fuiſſe, ut Populum Romanum ejus agri, jam ab Coriolorum uſque expugnatione, dominum factum, modo externum tamquam judicem ſumerent; qui alterutrius partis eſſe rem, ſuo-

rum

rum militum olim partam ſanguine, contra ſuam Rempublicam, ad alios ſpectare decerneret. Cum, Coriolis ſtantibus, id numquam auſi fuiſſent, ut alienum agrum ſibi, jam vi, jam judicum ſententiis, uſurpare conarentur. Quantum quidem in Scaptio eſſet; eum agrum quem pro virili miles manucepiſſet, numquam commiſſurum, quin ſenex voce ſaltem, qua jam una pollebat, Populo Romano aſſereret, & vindicaret. itaque magnopere ſe Populo ſuadere, ne præpoſtero inutilique pudore impediti ſuam ipſi cauſſam damnarent. Tum ſenis cum aſſenſu exaudita oratio; Ardeatibuſque non minus & Aricinis, quam Conſulibus & primoribus Patrum Romanorum nequicquam reclamantibus, indigne ferentibus ac frementibus, lata ſuffragia; agerque de quo ſocii certaverant, tribuum conſenſu, Romano Populo eſt adjudicatus. Id, quamquam non Ardeatibus atque Aricinis quam patribus Romanis acerbius & fœdius viſum; Ardeates tamen, perverſi, ut ipſi quidem cenſebant, proditoriique judicii indignitate commoti, ab Romanis defecere: initioque inſequentis anni, M. Genucio [g], C. Curtio Coſs., arma adverſus pravos judices ab iiſdem ſumta. Læti Romani patres ejus defectionis nuncium accepere; quod opportuniſſimum ad ſedandas, vel certe differendas Tribunorum plebis in Urbe concitatas turbas, exiſtimarent; ſi, delectu habito, ad bellum egredi plebs cogeretur. Verum Cajus Canulejus tribunus, Collegarum omnium infenſiſſimus Patribus, ſe vivo ab Conſulibus numquam delectum habitum iri, confidenter eſt proteſtatus; ante quam lex de Conſulatu cum plebe communicando ferretur. Cui rogationi dum validiſſime patricii ſe ſe oppoſuiſſent; factum, ut vertente anno, qui fuit V. C. trecenteſimus decimus, primum Tribuni militum

[g] *Liv. l. 4. init.*

Con-

Conſulari poteſtate Romæ crearentur. A. Sempronius Atratinus, L. Atilius, T. Cloelius fuere. Fervebant, id temporis, ſimul adverſus Romanos Æquorum, Volſcorum, & Vejentium bella; quibus Ardeatium quoque ſe ſe defectio adjunxerat. Hi tamen, ut lege primum agerent, & gentium jure, legatos ab Ardea Romam miſerunt, qui de accepta agri injuria ſic quererentur, ut ſimul, ea demta, in fœdere ſe ſe manſuros, atque amicitia, reſtituto agro, pollicerentur. ad hæc reſponſum eſt ab Senatu, judicium illud Populi, quamvis iniquum appareret, reſcindi tamen in præſens, niſi iniquius, minime poſſe. nam, præterquamquod ea reſciſſio neque jure neque exemplo ullatenus niti poterat; concordiam in Romana civitate nuper utcumque ſartam, ab ea, ſi fieret, protinus majoribus vulneribus ſauciandam. Quare, ſi Ardeates opportuna tempora exſpectare velint; cum ſedatis plebem inter & patres turbis, liberum Senatui foret, quid de judicio Ardeates inter atque Aricinos habito per Populum, ipſi ſentirent; atque adeo cum factum eſt, ſenſiſſent, pro ſua auctoritate promulgare; polliceri Senatum Ardeatibus, futurum, ut illos patientiæ numquam pœniteat; quin immo gaudeant, iræ, de ulciſcenda ea injuria, nunc temperaſſe. Eamdem namque curam nunc eſſe patribus, ut ea levaretur injuria quam, ne fieret, primo habuiſſent. Itaque legati nihil in præſens decernentes, rem tantum integram ad ſuos Ardeam relaturos polliciti, domum redierunt. Quamquam autem Livius & Dionyſius, quid Ardeæ ſuper comi ceteroquin Romani Senatus reſponſo decretum fuerit, non meminerint; eos tamen ſapientiſſimorum integerrimorumque patrum ſe pollicitationibus credidiſſe, & permiſiſſe, ſatis colligitur. Namque circa hujus anni finem, L. Papirio

Mugillano, L. Sempronio Atratino Coſs., fœdus cum Ardeatibus renovatum, *h* Livius commemorat. Quinimmo, ex hoc præcipue conſcripto fœdere hos creatos Conſules proditum; cum reliquos apud hiſtoricos illorum nomina nuſquam legantur.

h *Liv. l. 4. ſub init.*

Anno autem V. C. trecenteſimo undecimo M. Geganio Macerino iterum, T. Quintio Capitolino quintum Conſulibus, quo anno primum Cenſura, novus in Urbe Magiſtratus, decreta, & Cenſores creati ſuperioris anni Conſules Papirius atque Sempronius; civiles turbæ Ardeates adeo exagitaverunt, ut in diſcrimen ultimum civitas prope adduceretur. Initium & cauſſa tæterrima belli civilis, ac inteſtinæ diſcordiæ, femina (ut plerumque) fuit. Rem a Livio minute & graphice deſcriptam, illius plane verbis exſequar: *Virginem* i *plebeji generis maxime forma notam petiere juvenes; alter virgini genere par, tutoribus fretus, qui et ipſi ejuſdem corporis erant; nobilis alter, nulla re præterquam forma captus. adjuvabant eum optimatium ſtudia, per quæ in domum quoque puellæ certamen partium penetravit. nobilis ſuperior judicio matris eſſe, quæ, quam ſplendidiſſimis nuptiis jungi puellam, volebat. tutores in ea quoque re partium memores ad ſuum tendere. Cum res peragi intra parietes nequiſſet; ventum in jus eſt. poſtulatu audito matris tutorumque, magiſtratus ſecundum parentis arbitrium dant jus nuptiarum. Sed vis potentior fuit. namque tutores inter ſuæ partis homines de injuria decreti palam in foro concionati, manu facta virginem ex domo matris rapiunt. adverſus quos infeſtior coorta optimatium acies ſequitur accenſum injuria juvenem. Fit prælium atrox. pulſa plebs nihil Romanæ plebi ſimilis, armata ex urbe profecta, colle quodam capto, in agros optimatium cum ferro ignique excurſiones facit. Urbem quoque omnis etiam expertem ante certaminis, multitudine opificum ad ſpem prædæ evocata, obſi-*

i *lib. 4.*

obſidere parat. Nec ulla ſpecies cladeſque belli abeſt, velut contacta civitate rabie duorum juvenum, funeſtas nuptias ex occaſu patriæ petentium. Parum parti utrique domi armorum bellique eſt viſum. optimates Romanos ad auxilium urbis obſeſſæ, plebs ad expugnandam ſecum Ardeam Volſcos excivere. Itaque Romam legati ab Ardea veniunt, pro veterrima ſocietate, renovatoque fœdere recenti, auxilium prope everſæ urbi implorantes. frui namque pace, optimo conſilio cum Populo Romano ſervata, per inteſtina arma ſibi non licuiſſe; quorum cauſſa atque initium ex certamine factionum ortum. (quæ fuere, eruntque potentibus populis magis exitio, quam bella externa, quam fames, morbive; quam quæ alia in deûm iras velut ultima publicorum malorum vertunt.) Priores Volſci, duce Æquo Clœlio Ardeam venerunt, & mœnibus hoſtium vallum objecere. Quod ubi Romam eſt nuntiatum; extemplo M. Geganius Conſul cum exercitu profectus tria millia paſſuum ab hoſte locum caſtris cepit; præcipitique jam die curare corpora milites, jubet. quarta deinde vigilia, ſigna profert: cœptumque opus adeo approperatum eſt, ut ſole orto, Volſci firmiore ſe munimento ab Romanis circumvallatos, quam a ſe urbem, viderent. & alia parte Conſul muro Ardeæ brachium immiſerat, qua ex oppido ſui commeare poſſent. Volſcus imperator, qui ad eam diem non commeatu præparato, ſed ex populatione agrorum rapto in diem frumento aluiſſet militem; poſtquam ſeptus vallo, repente inops omnium rerum erat; ad colloquium Conſule evocato, ſi ſolvendæ obſidionis cauſſa venerit Romanus, abducturum ſe inde Volſcos, ait. Adverſus ea Conſul, victis conditiones accipiendas eſſe, non ferendas, reſpondit; neque ut venerint ad oppugnandos ſocios Populi Romani ſuo arbitrio, ita abituros Volſcos eſſe. dedi imperatorem, arma poni jubet, fatentes victos ſe eſſe, & imperio parere: aliter tam abeuntibus, quam manentibus ſe hoſtem infenſum, victoriam potius ex Volſcis, quam pacem infidam Romam relaturum. Volſci exi-

guam ſpem in armis ponentes, alia undique abſciſſa cum tentaſſent; præter cetera adverſa, loco quoque iniquo ad pugnam congreſſi, iniquiore ad fugam; cum ab omni parte cæderentur; ad preces a certamine verſi, dedito imperatore, traditiſque armis, ſub jugum miſſi, cum ſingulis veſtimentis, ignominiæ cladiſque pleni dimittuntur. & cum haud procul urbe Tuſculo conſediſſent; vetere Tuſculanorum odio inermes oppreſſi dederunt pœnas, vix nuntiis cladis relictis. Romanus Ardeæ turbatas ſeditione res, principibus ejus motus ſecuri percuſſis, boniſque eorum in publicum Ardeatium redactis, compoſuit. Demtamque injuriam judicii tanto beneficio Populi Romani Ardeates credebant: Senatui ſupereſſe aliquid ad delendum publicæ avaritiæ monumentum videbatur. Conſul triumphans in Urbem rediit; Clœlio Volſcorum duce ante currum ducto, prælatiſque ſpoliis, quibus dearmatum exercitum hoſtium ſub jugum miſerat. Hactenus Livius. Qua ex narratione, amplitudo, inter cetera, urbis Ardeæ colligitur; in qua multitudo opificum fuiſſe narratur; quod prædivitem & plenam civitatem plane indicat. Rurſum, quanti Romani Ardeatium amicitiam facerent; qui ad eorum urbem obſidione ſolvendam continuo exercitum conſcripſerint, & eduxerint; quanta denique eſſet Romanorum apud vicinos & ſocios, vel ab ipſis Romanæ Reipublicæ exordiis auctoritas; qui ampliſſimarum quoque civitatum, & liberarum, arbitri belli domique ſponte accerſirentur.

k *Liv. lib.* 4. Jam vero, Urbis Conditæ anno *k* trecenteſimo duodecimo, M. Fabio Vibulano, Poſth. Æbutio Cornicine Coſs., Ardeam Romanorum primo deducta Colonia eſt. Igitur Conſules, ut cum ſuperioris anni Conſulibus rerum geſtarum, æquitatiſque in Ardeates gloria certarent; Senatus conſultum fecerunt, ut Colonia Ardeam deduceretur. Hæc deducendæ cauſſa prætenta: ut, quoniam civitas Ardeatium inteſti-

no

no tumultu, præteritæque in tumultus principes animadverſionis habitæ cauſſa, redacta ad ſatis exiguum civium numerum eſſet; iſque novæ, ſi tentaretur, Volſcorum obſidioni ferendæ longe impar haberetur; Coloni eo, præſidii cauſſa, adverſus Volſcos conſcriberentur. Hoc idcirco publice jactatum; relatum quoque palam in tabulas, ut plebes, ejuſque Tribuni, conſilium eo pacto honeſtiſſimum, & prudentiſſimum, de reſtituendo Ardeatibus parum pudenter ſibi adjudicato ambiguo agro, probroſoque reſcindendo judicio, initum a patribus, celarentur. Conſtat tamen, Rutulorum magis quam Romanorum Ardeam fuiſſe Coloniam deductam. Siquidem prius Ardeatium Romanorumque primores ſecreto inter ſe, conſenſerant, ut multo majore parte Rutulorum Colonorum, quam Romanorum ſcriberetur; nec ager ullus novis Colonis divideretur; niſi is, qui interceptus judicio infami fuerat; nec ulli Romano ibi, priuſquam omnibus Rutulis diviſus eſſet, glæba ulla agri aſſignaretur. Hac induſtria & æquitate, ager, de quo tam acriter lege atque armis Ardeates cum Aricinis certaverant, quemque Populus Romanus impudenter admodum utriſque poſtpoſitis, ſibi adjudicaverat, Ardeatibus, pacifice, ac novo veluti accedente jure, reſtitutus. Ardeam deducendæ Coloniæ Triumviri creati Agrippa Menenius, T. Cloelius Siculus, M. Æbutius Helva. Hi, dum odioſum illud miniſterium aſſignandi ſociis Colonis agrum, quem Populus Romanus ſuum eſſe judicaverat, ſumma cum integritate explent; invidiam non Romanæ plebis magis, quam procerum incurrere. & plebis quidem, quod judicium, plebeji hominis P. Scaptii teſtimonio, per Tribunos plebis maxime ſancitum, ea diviſione reſcidiſſent; procerum vero; quod in dividendo æquis partibus,

bus, nullius gratiæ quicquam dediſſent. Quare cum graviſſimas criminationes vexationeſque utrimque in ſe produturas animo præſagirent; jamque diem ſibi Romæ a Tribunis ea ſuper agri diviſione dictam exaudiſſent; & ipſi Triumviri novis ſeſe Colonis adſcripſere. parataſque ſuorum machinationes, remanendo Ardeæ in Colonia, quam ſuæ integritatis juſtitiæque præſentem teſtem habebant, eluſere.

Sequitur hinc res præclare ab Ardeatibus, M. Furio Camillo duce, adverſus Gallos pro ſe Populoque Romano geſta. Namque Urbis Conditæ Anno trecenteſimo *l* ſexageſimo quarto, ſex Tribunis militum Conſulari poteſtate creatis L. Lucretio, L. Furio Medullino ſeptimum, Ser. Sulpicio, Agrippa Furio, M. Æmilio, C. Æmilio ſecundum; cum M. Furius Camillus, vir, ſi quis alius, de Romana Republica optime atque egregie meritus, poſt omnes fere Romani nominis, aſſiduis & continentibus prœliis atque victoriis, ſuperatos hoſtes; Volſcos, Æquos, Hetruſcos; poſt Vejens bellum diuturniſſimum confectum; Vejorumque urbem, quæ decennii obſidionem Trojæ parem tulerat, captam; a L. Appulejo Tribuno plebis die dicta, damnatus, ſolumque vertere coactus, ad Ardeates ſe contuliſſet; accidit, quod ille precatus fuerat, ut ingrata patria extremis oppreſſa malis ſtrenua tanti civis opera egeret.

1 *Liv. lib. 5.*

Galli, fuſis ad Alliam fluvium, fugatis, cæſiſque ingenti clade Romanis, Romam ceperant, ac ferro ignique vaſtaverant; ſola Capitolina arce reſiduum Romanæ gentis ac libertatis ſervante. Dum autem hæc quoque arx arctiſſima diu obſidione premeretur; Galli interim ad vicinos Romanis agros depopulandos palantes diſpergebantur; relicto, ad Capitolii obſidionem, Romæ dimidio exercitus. Contigit itaque, ut ad Ardeam

quo-

quoque, ubi Camillus exſulabat, accederent, Romanam virtutem in eo Ardeæ experturi, quam Romæ penitus jam defeciſſe, jactabundi exprobraverant. Et Camillus quidem, non tam privato exſilii ſui, quam publico direptæ incenſæque patriæ caſu triſtis, deorum hominumque facta incuſabat; quod barbaris gentibus, ſoloque irrationabili impetu fortibus, tantum de Romano nomine permiſiſſent; deſiderioque fortiſſimorum illorum ducum & commilitonum, qui ſecum Falerios Vejoſque ceperant, tabeſcens conſeneſcebat. Cum, ecce tibi repente, Gallorum exercitum Ardeam, malo ſuo, adventare nuntiatum, audit; eaque de re pavidos Ardeates in concilium progreſſos conſultare. Accurrit illico, (quamquam, ne quid umquam adverſus patriam conſulendi, periculum forte ſubiret; ab hujuſmodi conciliis ſemper ante id tempus abſtinuiſſet) & divino quodam veluti ſpiritu correptus in mediam ſe ſe concionem infert. Tum lætis, & confirmatis multum tanti viri præſentia & auctoritate omnibus *m*: *Ardeates*, inquit, *veteres amici, novi etiam cives mei, quando & veſtrum beneficium ita tulit, & fortuna hoc egit mea; nemo veſtrûm, conditionis meæ oblitum huc proceſſiſſe, putet: ſed res ac periculum commune cogit, quod quiſque poſſit, in re trepida, præſidii in medium conferre. Et quando ego vobis pro tantis veſtris in me meritis gratiam referam, ſi nunc ceſſavero? aut ubi uſus erit mei vobis, ſi in bello non fuerit? hac arte in patria ſteti; & invictus bello, in pace ab ingratis civibus pulſus ſum. Vobis autem, Ardeates, fortuna oblata eſt & pro tantis priſtinis Populi Romani beneficiis, quanta ipſi meminiſtis, (nec enim exprobranda apud memores ſunt) gratiæ referendæ; & huic urbi decus ingens belli ex hoſte communi pariendi. Quæ, effuſo agmine, adventat, gens eſt cui natura corpora animoſque magna magis, quam firma dederit:*

m *Liv. lib. 5.*

eo in certamen omne plus terroris quam virium ferunt. Argumento sit clades Romana: patentem cepere Urbem: ex arce Capitolioque his exigua resistitur manu. jam obsidionis tædio victi abscedunt; vagique per agros palantur. Cibo vinoque raptim hausto repleti, ubi nox appetit, prope rivos aquarum, sine munimento, sine stationibus ac custodiis, passim ferarum ritu sternuntur; nunc ab secundis rebus magis etiam solito incauti. Si vobis in animo est tueri mœnia vestra, nec pati hæc omnia Galliam fieri; prima vigilia, capite arma frequentes: me sequimini, ad cædem, non ad pugnam. Nisi victos somno, velut pecudes trucidandos tradidero; non recuso eumdem Ardeæ rerum mearum exitum, quem Romæ habui. Hac Camilli concione animati omnes, fortissimi viri consilium ad unum omnes adprobavere; cum amicis pariter atque inimicis altissime persuasum foret, neminem ea tempestate virtute, consilio, rerum denique belli domique gestarum gloria, vivere, qui cum Camillo posset comparari. Itaque ad curanda statim profecti corpora, cum ingenti omnes alacritate, intenti quam mox signum daretur, armati exspectant. Hoc, primo noctis silentio, amicisque se se intendentibus tenebris, dato; ad Camillum ex tota passim urbe sub signis, ad portas concurritur. Egressi, Gallos, eo prorsus ritu quo a Camillo nuper in concione prædictum fuerat, jacentes, ferarum instar, passim deprehendunt. haud ita procul ab Ardeæ mœnibus castra posita, nihil munita, nihil nocturnis servata custodiis invadunt. Sopitorum nudorumque, nedum inermium, hostium strages ubique ac cædes fit. qui prœlio adversentur, occurrunt nulli. ita, cum jam plerique somnum cum letho commutavissent; ad ultimum, ipsorum cædentium Ardeatium strepitus extremos e cubilibus suis excitavit. Verum & semisopitos & improvisæ rei terribilior hostium aspectus

ctus adeo perſtrinxit, ut amentes veluti, & quid in re tam ſubita ac trepida conſilii caperent, inſcii, in hoſtem alii trucidandi, improvide, ſponte incurrerint; alii, fuga per Antiatum agros capta, ab oppidanis eruptione in diſperſos facta, intercepti ac circumventi, ab Antiatibus hinc, hinc ab Ardeatibus penitus deleti fuerint. Sic Ardeates, dum urbi ſuæ atque agris conſulunt, dimidium ferme hoſtium pro Romanis imminuerunt. Mox reliquum, eodem Camillo duce, pari felicitate ac virtute confecere. Interim ex Camilli ſuperiore ad ipſos concione habita notandum opportune, Ardeates veteres Populi Romani ſocios & amicos exſtitiſſe; exſulemque Camillum intra ſuam urbem humaniſſime exceptum proprii veluti civis loco habuiſſe; illumque ingentibus beneficiis certatim omnes cumulaſſe. Quæ omnia Ardeatibus maxime glorioſa, ſummaque commendatione digniſſima, mite gentis ingenium, virtutiſque, ſecluſa quoque felicitate, (quod rariſſimum eſt) amantiſſimum, plane demonſtrant. Ceterum, cum ad ultima jam præ fame ab obſeſſis in Capitolio Romanis ventum eſſet; auroque redimendi Romana capita pacto inito, aurum idem Gallis majorem partem appenſum eſſet; Ardeates, Camillo duce, quem Romani Dictatorem creaverant, Romam intervenere. Ibi, conditionibus omnibus deditionis ſtatim reſciſſis, ſtrenue adeo pugnatum eſt, ut in Urbe Galli, ſimilem illi quam ipſi Romanis ad Alliam intulerant, cladem referrent. Hæc maxima omnium Ardeatibus rerum geſtarum gloria; quod Urbem per quadringentos fere annos bellicis laudibus ac victoriis inſignem, & univerſi terrarum orbis dominam mox futuram, ab indigniſſima excidione, turpiſſimaque deditione, ac ſervitute, ipſi potiſſimum liberaverint. Quamvis enim non ignorem,

rem, ad Gallos cædendos captaque pellendos Urbe, etiam Romani reliquias exercitus, quæ Vejos ex Alienſi fuga ſe ſe receperant, & collectitiam quoque Latinorum aliquot multitudinem adfuiſſe; præcipue tamen Ardeatium virtuti eam gloriam & laudem merito ſemper tribuam. Siquidem Romani pars exercitus, quæ ex Allienſi fuga ad Vejos conſederat, cum hoſte, cujus vel ſolo aſpectu fuerat conſternata, congrediebatur. Ardeatium vero delectus cum hoſte, cujus dimidium exercitus nuper fœdiſſime trucidaverat. Itaque tanto in Romana urbe a Gallis liberanda Ardeatium major reliquiis Romani exercitus virtus, quanto victoribus ſupra victos majores animi ſemper eſſe conſueverunt. Cujus rei & illud quoque argumento ſatis perſpicuo eſſe poteſt; quod Romani exercitus reliquiæ intra Vejos receptæ, adeo ante Ardeatium Romam adventum ſemper trepidaverant; ut, quamquam patriam ſuam ab Gallis captam diripi, ferro ignique vaſtari, arcem denique cum reſiduis Romanis omnibus dedi, cognoviſſent; numquam tamen ſuorum caritas conceptam ex Allienſi clade trepidationem ab illorum mentibus exuere vel paullulum potuerit; ut vel unum veſtigium, quo hoſtes ab interitu patriæ ſummoverent, ex Vejorum mœnibus progrederentur. Cum Ardeates, e contrario, non modo ad ſua mœnia, ſuos agros, pæne ad prima Camilli verba, ex hoſtium incurſionibus aſſerendum, promto alacrique animo ſtatim adfuerint; remque fortiter æque ac feliciter geſſerint; verum, & pro Romanis aris & focis ſe ſe in diſcrimen iterum dare, minime dubitaverint. Non me fugit, Camilli auctoritate atque exemplo, Camillo denique duce, ad hæc audenda Ardeates maxime fuiſſe animatos: verum, quemadmodum ſine ſapientis ac ſtrenui ducis conſilio

& vir-

& virtute, robur exercitus ad bellicas res gerendas minime ſufficit; ita neque ſola ducis ſapientia ac virtus, ſine militum robore & ſtrenuitate, rem conficiet. Ut merito rex ille Pyrrhus, alter Romanorum aliquando terror, militibus ſuis qui eum velut aquilam ad prædam convolare, atque in hoſtes dominari commendabant, non humane minus quam vere reſponderit; eos alas ingentes eſſe, quibus ipſe ſublatus, velut aquila, tales volatus edebat. Hæc igitur ab Ardeatibus pro Romanis glorioſiſſime geſta ſunt. Quamquam autem apud veteres Latinos hiſtoricos, in unius Populi Romani rebus geſtis occupatos, reliqua Ardeatium monumenta non fuerint recenſita; certum eſt nihilominus, illos una cum reliquis Latinis populis Romani nominis ſociis militem eidem in ſingula ferme bella & annonam ſuffeciſſe. Unde tot præclariſſimarum ab Romanis tam multiplici ex hoſte relatarum victoriarum laudes cum illis quoque, non modica ex parte, ſunt merito communicandæ.

Ceterum, Urbis conditæ anno quingenteſimo quadrageſimo primo, Q. Fabio Maximo quintum, Q. Fulvio Flacco quartum Conſulibus, bellis Punicis in Italia ferveſcentibus, cum Romana res, fœdis ab Annibale acceptis cladibus, in ultimum ferme diſcrimen eſſet adducta; Ardeates Coloni nullis neque minis, neque precibus, adduci umquam potuere, ut milites & annonam Romanis exercitibus præberent. queſti ſcilicet, una cum aliis undecim Romanis Coloniis, ſociorum urbes exhauriri novis ſemper habendis delectibus militum, quos Annibal, aliique Pœni duces, Orco demitterent. Hæ Coloniæ *n* fuere Ardea, Nepete, Sutrium, Circeji, Alba, Carſeoli, Sueſſa, Sora, Setia, Cales, Narnia, Interamna. Nunciatum eſt Coloniarum decretum Romæ in Senatu

n *Liv. l.* 27.

a legatis ſingularum. Cumque comminando magis & terrefaciendo, quam lenibus comibuſque verbis, ut opus erat, rogando, illos Romani Conſules de ſententia dimovere tentaſſent; obfirmatos inde magis, atque obſtinatos animis reddiderunt. Actumque erat (ait Livius) de Romana Republica, niſi duodeviginti, quæ ſupererant Coloniæ, imperata feciſſent. Ceterum, quamquam Romanos ea reſponſa irritaſſent quam quæ maxime; diſſimulare nihilominus injuriam, & apertam ſociorum defectionem, iniquitas temporum perſuaſit. Itaque duodecim Coloniarum, quæ detrectaverant imperium, mentionem fieri, tunc patres vetuerunt; neque illarum legatos, qui Romæ erant, dimitti, neque retineri, neque appellari a Conſulibus, placuit. Tamquam ſummus neglectus, & contemtus, eorumdem proterviam atque ſuperbiam unice domare poſſet. Eaque caſtigatio, cum alia quælibet nocitura proſpiceretur, maxime ex dignitate Populi Romani viſa eſt. Verum dilata ultio, acerbior poſtea de Coloniis quæ imperia detrectaverant, ſumta. Siquidem acerbiore mox delectu *o* & cenſu punitæ ſunt; tributumque ut penderent ſtipendii nomine cunctis indictum. Anno autem V. C. quingenteſimo ſexageſimo quarto, detecta *p* per Sp. Poſthumium Albinum & Q. Marcium Philippum Coſs. Bacchanalium infami conjuratione; in ejus auctores, in alios aliter, graviſſime ab Senatu animadverſum eſt. Minium vero Cerrinium Campanum Ardeam in vincula mittendum cenſuerunt; magiſtratibuſque Ardeatium prædicendum, ut interiore eum cuſtodia aſſervarent; non ſolum ne effugeret, ſed ne mortis conſciſcendæ locum haberet. Et hæc quidem de Ardeatium Republica & Colonia memorantur, Romana florente Republica.

o *Liv. l.* 29.

p *Liv. l.* 39.

Ce-

Ceterum ſub Hadriano Imperatore Ardeatinam Coloniam cenſitam, tradit Frontinus his *q* verbis: *Ardea oppidum: Imp. Hadrianus cenſuit. Iter populo non debetur. ager ejus in lacineis eſt adſignatus.* Porro cenſus dupliciter olim apud Romanos habebatur. alter enim rerum, perſonarum alter cenſus fuit. Et perſonarum quidem, morum cenſura ſeu caſtigatio erat: quique contra leges a Cenſoribus agere deprehenſi eſſent; ii vel pecuniaria, vel ignominiæ pœna mulctabantur: puta, de Senatu movebantur, ſi Senatores fuiſſent; equo publico privabantur, ſi Equites: aliaque non abſimili nota configebantur, prout cujuſque conditio & dignitas, culpa etiam & crimen foret. Ita cenſitos Ardeates ab Romanis exiſtimo, ob detrectatam, tempore Punici belli, militiam. Rerum autem cenſus ita fiebat, ut civium quiſque nomen, genus, ætatem, de ſe, uxore, liberis, ſervis, eorumque officia & artes; inſuper pecuniam, prædia quoque, ceteramque pretioſam ſupellectilem, coram Cenſoribus profiteretur. agri vero ita deferebantur, ut nomen fundi, tum locus in quo eſſet, vicini præterea, mox arva, vineæ, ſilvæ, paſcua, deferrentur. Hæc omnia jurati edebant. ſi quis detrectaſſet, aut fefelliſſet; virgis cædi, primis temporibus, cum cenſus Romæ peractus eſt, conſueverat. poſtea vero, vel bonis vel civitatis jure cadebat. Hoc ritu Ardeam oppidum ab Hadriano Imperatore cenſitum, exiſtimaverim; idcirco potiſſimum, quod addidit Frontinus, Ardeatium agrum ab eodem *in lacineis* adſignatum fuiſſe. Unde fit, ut novam Coloniam hic Imperator Ardeam deduxerit. in deductione namque novæ Coloniæ adſignari non una ratione agri ſolebant. Aliquando enim, majori ex parte civibus ejus urbis quo Colonia deducebatur, agro mulctatis,

q *Lib. de Coloniis.*

is

is Colonis deductis assignabatur; aliquando minori aut minima; prout Triumviris deducendæ Coloniæ, vel Imperatoribus, magis libuisset. Aliquando viæ publicæ spatium quaquaversum relinquebatur ad populi iter; aliquando hæc cautio minime adhibita. Unde apud Frontinum in Coloniarum agris adsignandis, *deberi* modo, modo autem *non deberi iter populo*, scriptum legimus. Quod autem idem auctor Ardeatium agrum *in lacineis* ab Hadriano adsignatum, dixerit, sic interpretor, ut extremus quisque Ardeatini agri limes Hadrianalibus novis Colonis fuerit tributus. Est enim *lacinia*, si vocabuli propriam significationem spectes, extrema vestimentorum pars, seu extremum oblongæ fasciæ; Italice nunc *striscia*, aut *falda*. itaque in extremo agro pars campi in oblongum, utplurimum adsignata, *in lacineis*, sive *laciniis* adsignari, figurate dicebatur. vernacule diceremus *a striscie*.

CAPUT IV.

De præcipuis Ardeatium templis.

OMNIUM antiquissimum, inter ea quæ Ardeæ fuisse templa, memorantur, Junoni Reginæ templum est dedicatum. De illo, quod ante urbem Romam conditam exstiterit, testimonium Plinii in hæc verba accipio *a*: *Exstant certe hodieque antiquiores Urbe picturæ Ardeæ in ædibus sacris; quibus equidem nullas æque demiror tam longo ævo durantes, in orbitate tecti velut recentes*. Quamvis enim hoc loco Plinius minime significaverit, cui nam ex diis illæ ædes sacræ fuerint; tamen ex ejusdem libri capite decimo, eas Junoni Reginæ sacras fuisse, satis colligitur. Ait namque ibi

a *Lib.* 35. *c.* 3.

idem

idem auctor: *Decet non ſileri & Ardeatis templi pictorem, præſertim civitate donatum ibi, & carmine, quod eſt in ipſa pictura, his verſibus:*

Dignis digna loca picturis condecoravit
Reginæ Junonis ſupremæ conjugis templum
Marcus Ludius Elotas Ætolia oriundus,
Quem nunc & poſt ſemper ob artem hanc Ardea laudat.

Siquidem ait Plinius, *Ardeatis templi pictorem* ſine addito; innuens templum Junonis Reginæ, quod erat Ardeæ, notiſſimum fuiſſe Romæ, & in reliqua Italia, ob antiquitatem, & picturas, quibus undique conveſtiebatur: unde *Ardeatis templi* nomine, quamquam numen cui dedicatum fuerat, non exprimeretur, Junonis Reginæ templum, propter excellentiam intelligi, ſatis conſtabat. Rurſum ajendo *Ardeatis templi pictorem*, indicat, ſe ad ea quæ de picturis antiquiſſimis & pulcherrimis ſacrarum ædium Ardeæ, capite libri ejuſdem tertio, memoraverat, nunc pariter ſermonem referre. Ceterum ex Plinii verbis, hujus quoque templi figuram non vane conjectare poſſumus. Quam orbiculatam fuiſſe crediderim, ut pleraque profanorum templa ædificabantur. mirabatur enim Plinius templi ejuſdem picturas, antiquiſſime licet pictas, utpote quæ ante Urbem conditam exſtarent, ad ſuam tamen uſque ætatem perduraſſe velut recentes, in orbitate tecti; h. e. cum pictæ fuiſſent in parietibus templi, quod ſine tecto erat. Itaque non abſimile hoc templum fuiſſe illi quod hodie quoque cernimus Romæ, a M. Agrippa Matri deûm, diis deabuſque omnibus dedicatum, quod *Pantheon* appellaverunt, merito exiſtimaverim. Ita enim rotunda figura erectum ac ſuperne concameratum eſt, ut rotundum foramen, ex quo unice lucem accipit, illud vere in orbitate tecti conſtituere dici poſſit. ſiquidem

dem ne dum lucem, verum ventos & pluvias nihilo ſecius, ac ſi aperte ſub dio eſſet, noctuque & interdiu admittit. Quare haud leviter mirabatur Plinius picturarum Ardeatis templi tam vetuſtam diuturnitatem, ut quæ mille jam prope annos adhuc perſeverarent; cum tamen in ea tecti orbitate, tempeſtatum aſſiduis injuriis perpetuo percellerentur. Ceterum, quidnam hæ picturæ repræſentarent, ex Plinio pariter deprehendi poſſe, crediderim. qui recitatis carminibus quæ jam protuli, continuo ſubdit: *Ea ſunt ſcripta antiquis literis Latinis; non fraudando & Ludio Auguſti ætate, qui primus inſtituit amœniſſimam parietum picturam; villas, & porticus, ac topiaria opera; lucos, nemora, colles, piſcinas, euripos, amnes, litora qualia quis optarat; varias ibi obambulantium ſpecies, aut navigantium, terraque villas adeuntium aſellis & vehiculis. Jam piſcantes, aucupanteſque, aut venantes, aut etiam vindemiantes. Sunt in ejus exemplaribus nobiles paluſtri acceſſu villæ: ſuccollantium ſpecie mulieres labentes trepidæque feruntur. plurimæ præterea tales argutiæ, facetiſſimi ſales.* Non enim hic ait Plinius, quod male quidam ſunt interpretati, pictorem hunc Marcum Ludium, ætate divi Auguſti floruiſſe. nam ſic aperte pugnantia ſecum narraſſet. quandoquidem & picturas Ardeæ in ædibus ſacris, ipſa urbe Roma antiquius, depictas in parietibus, & in orbitate tecti ſe ſe demiratum, & rurſus Ludium primum omnium artem parietes pictura conveſtiendi in Italiam invexiſſe, dixit. qui, ſi divi Auguſti ætate floruiſſet, mendacem picturarum, Ardeæ ante Romam conditam exſtantium, narrationem convinceret. Igitur Plinius inquit, non fraudandum Ludium divi Auguſti ætate; ſcilicet, meritum fuiſſe qui viveret & pingeret ipſo Auguſti Cæſaris ſæculo, cum propoſitis ab eo Imperatore ingentibus præmiis, pictura

Ro-

Romæ maxime floreret, ſummoque in honore eſſet; & magna excellentium pictorum copia, in quorum choro Marcus Ludius merito inter principes, ſi in eam ætatem ævo dilatus vixiſſet, reponendus cum laude fuiſſet; fraudemque illi feciſſet qui eumdem minoris, ac Auguſteæ ætatis pictores, æſtimaviſſet. Porro ex allatis Plinii verbis, quali pictura templum Junonis Reginæ apud Ardeates conveſtitum fuerit, dijudicare prudenter poſſumus. Relata vero carmina, ex Plinio, repræſentat pariter lapis olim in ſuburbana villa Julii Tertii Romani Pontificis, extra Portam Flaminiam exſtans; cujus & *b* Tomaſinus & Gruterus *c* meminere, ſic paullulum variantia:

b Tomaſin. de Donar. c. 7.

c Gruter. Inſcript.

DIGNE. DOCTILOQVEIS. PICTVREIS. CONDECORAVIT
REGINAE IVNONI. SVPREMI. CONIVGI. TEMPLVM
MARCVS. LVDIVS. ELOTAS. AETOLIA. ORIVNDVS
QVEM. NVNC. ET. POST. SEMPER. OB
ARTEM. HANC. ARDEA. LAVDAT.

Quem tamen lapidem, ut ſpurium & fictum, & ex Plinio concinnatum, Gudius, apud ipſum Gruterum, merito rejicit. Nam, præterquamquod cum Plinianis verſibus illi omnino non convenit; eos verſus Plinius non quidem in marmorea tabula fuiſſe inſculptos, verum in ipſis Ardeatis templi parietibus deſcriptos aut depictos, per longum, veluti faſcia quadam ſuperne, vel inferne, picturas ambiente, videtur innuere. Ait enim: *Decet non ſileri & Ardeatis templi pictorem, præſertim civitate donatum ibi, & carmine quod eſt in ipſa pictura his verſibus.* Quæ mox ut recitavit, ſubdit: *Ea ſunt ſcripta antiquis literis Latinis.* Quicumque autem memoratum lapidem finxit, ut ſplendido ſuo mendacio conciliaret auctoritatem, inſculpſit: *Doctiloqueis pictureis*, pro *doctiloquis picturis*, *Junoni* & *conjugi* pro *Junonis* & *conjugis*; & pro *digna loca*

appoſuit *doctiloqueis*, quaſi violata jura carminis emendaturus. Cum tamen nulla Plinianum carmen antiquum egeret emendatione. Quamvis enim ultima ſyllaba vocis, *loca*, jure communi brevis ſit; nihilominus, quod cæſura ſit, ſive ultima vocis ſyllaba, ab antiquis poetis produci aliquando conſuevit. Deinde, quis neſciat, antiquos Latinos poetas, ſecundum ſingularis numeri caſum in *is*, tertiumque & ſextum numeri multitudinis in *us* ſcripſiſſe quidem extenſos *is* & *us*, verum dimetiendis verſibus, ſigmatis non habuiſſe rationem; ſed brevem utramque vocalem *i* & *u* computaſſe, perinde ac ſi nullum eidem ſigma adhæſiſſet? Non igitur opus erat ad fingendum lapidem antiquis Latinis literis ſcriptum *ſigmata abjicere*. cum potius eruditis viris, utroque ſigmate expreſſo, lectio procul dubio magis ſapiat antiquitatem. Utriuſque exemplum habes luculentiſſimum in carmine ad Ennii poetæ ſepulcrum, olim in Via Appia ſitum, ſic:

ASPICITE. O. CIVES. SENIS. ENNII. IMAGINIS. FORMAM
HIC. VOSTRVM. PANXIT. MAXVMA. FACTA. PATRVM
NEMO. ME. LACRVMIS. DECORET. NEQVE. FVNERA. FLETOM
FAXIT. CVR. VOLITO. VIVVS. PER. ORA. VIRVM

Utrum autem Ardeatinum Junonis templum non *Junoni Reginæ* ſolum, ſed *Junoni Reginæ Supremæ*, hoc quoque titulo conſtanter expreſſo, dedicatum eſſet, aſſeverare non auſim. Quamvis enim Pliniana carmina habeant, *Junonis Reginæ Supremæ conjugis templum*; potuit hic titulus addi a poeta, honoris, & amplificandi carminis gratia; quin titulo *Reginæ Supremæ* dedicatum id templum Junoni foret. Inſcriptio tamen Ardeæ reperta, quam hic, ex Ligorio, damus, *Supremæ* titulum Ardeatinæ Junoni confirmare videtur: *d*

d *v.* Ardea.

IV-

IVNONI REGINAE
SVPREMAE
SACRVM
M. AVRELIVS M. LIB.
DAIMACHVS F.
PRO SALVTE ET RE-
DITV D. N. M. AVRELJ
AELIJ ANTONINI AVG.
PIJ GERMANICI SAR-
MATICI ARMEN - - - - -
- - - - - - - - - - - - - - - - - - - -
PRAEF. PRAET. - - - - - - -
- - - - - - - - - - PRAE - - - -

Ceterum, M. Ludium Ardeatis templi pictorem Græcum fuiſſe, domo Elotam, ſive Eleum, ex Elide Peloponneſi urbe principe, gente autem Ætolum, ex Ætolia Achajæ regione, nos edocet Plinianus verſus: *Marcus Ludius Elotas Ætolia oriundus*; cum tamen prænomen *Marci* Latinum hominem ſonet. Itaque ex Græcia in Latium cauſſa peregrinationis, artiſque ſuæ exercendæ, majori cum fama, & quæſtu, illum veniſſe, puto. Quando autem ab Ardeatibus civitate donatus eſt, Latinum *Marci* prænomen uſurpare cœpiſſe. Inter hæc, Ardeatium indolem ad virtutem, maxime vero ad magnificentiam, factam natamque, animo volve; qui ab antiquiſſimis uſque temporibus, pictorem excellentiſſimum, in Græcia natum, conduxerunt, Junonis templo magnificentiſſime exſtructo pulcherrimis decorando picturis addixerunt; virum eumdem in arte pictoria egregium, primumque parietes pictura conveſtiendi tam vario luſu auctorem, ſua civitate donaverunt; perpetuo denique carminum

monumento, hominis optime de ſe meriti memoriam conſecraverunt.

Utrum Veneris templum fuerit Ardeæ, nulla plane, quæ innuant, monumenta ſuperfuere. Vero tamen propius putaverim, celebre quod eſſet, nullum Veneri dedicatum Ardeæ templum fuiſſe. Siquidem Ardeates præſides erant templi Veneris celeberrimi, quod Lavinii fuit commune Latinis omnibus. De illo autem cum de Lavinienſibus agemus, opportuna recurret mentio. Nunc, quod pertinet ad Ardeates, innuiſſe ſatis eſto, Strabonis etiam teſtimonio confirmatum, cujus hæc verba Latine reddita *e*: *Lavinium habet commune omnibus Latinis Veneris fanum; cujus procuratio, jam inde a majoribus, ad Ardeates ſpectat*. Quodnam autem præcipuum atque omnium inſigne templum Ardeæ in foro fuerit, ubi a ſacrorum decemviris Romanis ſacrificatum majoribus hoſtiis, Livius tradidit; neque ipſe expreſſit, neque dignoſcere aliunde poſſumus. Ipſe tantum, circa belli in Italia cum Annibale exordia, refert, quod prodigia quamplurima, quæ Romæ nuntiata fuerant, præter ceteras expiationes, etiam ſacrificio Ardeæ facto, procurata fuerint; ſic *f*: *Hæc ubi facta; decemviri Ardeæ in foro majoribus hoſtiis ſacrificarunt*. Num templum fuit Junonis Reginæ a M. Ludio pictura nobilitatum, quod Ardeæ in foro fuerit? Non abnuerim. Jam vero Ardeæ fuiſſe templum ſeu certe aram Apollinis Præſtantis, ibidem effoſſus lapis, apud Sponium, ita inſcriptus, memorat: *g*

e *Lib. 5.*

f *Liv. lib. 22. ſub init.*

g *Spon. ſect. 2. p. mihi 86.*

APOLLINI PRAE-
STANTI ARAM
D. D. D.
PRID..... AVGVST.
CATVLINO ET MEROBAVDO
COSS.
ORD. PEREGRINORVM
CVR. F. FLAVIVS LIB. NAR-
CISSVS

Ex

Ex quibus colligit Sponius, factam fuisse hujus aræ dedicationem, anno a Virginis Partu septuagesimo septimo supra trecentesimum. Licet Fasti Capitolini ex additione & recensione Pighii eo anno Gratianum cum Merobaudo, non Catulinum, de quo lapis, Consules nominent. num quia Catulinus anno sui Consulatus nondum expleto, defunctus fuerit, eique Gratianus suffectus? num quia contrarium acciderit? asseverare non ausim. Dolendum tamen, quod ad eam ætatem superstitiosus adhuc simulacrorum cultus in Latio duraret. Quisnam vero fuerit *Peregrinorum ordo* Ardeæ constitutus, qui hanc Apollini Præstanti aram dedicavit, non invenio. Nisi forte diceres, eos homines qui Ardeæ quidem degerent, verum externi essent, adeoque *Peregrini*, in unum veluti corpus & collegium coaluisse, quod *ordo Peregrinorum* appellaretur. Qui autem aram *curavit fieri* Flavius Libertus Narcissus, suo hoc nomine Gentis Flaviæ, ex qua Vespasianus, Titus, & Domitianus Romanorum Imperatores exstitere, Libertum fuisse satis ostendit. Herculis quoque ædes Ardeæ fuit; illam namque de cælo tactam Livius *h* & Julius Obsequens meminere. Hunc Herculem *Servatoris* titulo ab Ardeatibus cultum, innuere videtur inscriptio, Ardeæ reperta, sic habens: *i*

h *Liv. l.* 32. *Jul. Obseq. de prodig. pag. mihi* 46.

i *Ap. Spon. sect.* 2. *art.* 10. *p.* 50.

HERCVLI SERVAT.
K. AEMILIVS K. F. QVIRINA
VARRIVS
ARCHITECTVS EXERCIT.
ET AEMILIA VESTIFICA
ET AEMIL.
VOTO SVS.

Ex

Ex qua, Cajum Æmilium Varrium, Caji filium, Architectum exercitus, ex Tribu Quirina, ſimul cum Æmilia Veſtifica, ſeu veſtium artifice, & altera Æmilia, voto ſuſcepto, Herculi Servatori, ſive ædem, ſive aram, ſive ſignum, ſive ſtatuam, erexiſſe Ardeæ, habes. Dixi ſive *ſignum*, ſive *ſtatuam*; hæc duo namque aliquando inter ſe diſtingui conſueviſſe olim, ſcimus.

Nationem quoque deam non uno ab Ardeatibus fano cultam, prodidit Cicero *k*, his verbis: *Quod ſi tales dii ſunt, ut rebus humanis interſint; Natio quoque dea putanda eſt: cui cum fana circuimus in agro Ardeati, rem divinam facere ſolemus. quæ quia partus matronarum tuentur, a naſcentibus Natio nominata eſt.* Sunt *l* qui *Nationis* nomine, (quam quidam etiam *Naſcionem* uſurpant) cultam ab Ardeatibus Danaem fuiſſe, prodiderunt; ut naſcituris infantibus exitum meliorem, quam filio ſuo Perſeo contigerat, prægnantes matronæ, ab illa propitia, & quaſi felicium partuum præſide, ab Jove conſtituta, impetrarent. Verum incerta admodum res hæc eſt; nulliuſque veteris ſcriptoris auctoritate fulcitur. nec Tullius, de *Natione* Ardeatibus fanis culta locutus, hanc Danaem creditam fuiſſe, non addidiſſet.

k *De nat. Deor. l.* 3.

l *ap. Corrad. Vet. Lat. l.* 1. *c.* 27.

Pilumni templum in Ardeatino fuiſſe, cui ſacer Pilumno lucus additus ſacrata in valle, Virgilius cecinit: *m*

m *Æneid.* 9. *init.*

Atque ea diverſa penitus dum parte geruntur,
Irim de cælo miſit Saturnia Juno
Audacem ad Turnum. luco tum forte parentis
Pilumni Turnus, ſacrata in valle ſedebat.

De Pilumno & Picumno cum de Ardeatium regibus ageremus, nonnulla diximus, *n* quæ hic tædet iterum lecturis apponere; quos proinde ad ea hujus operis lo-

n *Hujus lib. c.* 2. *& Corrad. Vet. Lat. lib.* 1. *plur. loc.*

ca

ca in quibus fuſe de his eſt actum, ſtudioſos fabularum hinc amandamus. Daunum quoque, Danaem, Veniliam Turni matrem, Juturnam Turni ſororem, Laram etiam Numici fluminis Nympham, Larium deorum ex Mercurio matrem, de qua fabulatus *o* eſt Ovidius, Turnum denique ipſum, tamquam deos indigetes ac patrios ab Ardeatibus templo & ſacris cultos, ſunt qui memorent, prudentem conjecturam ſecuti; quod unicuique genti conditores ſuos & auctores, deorum ritu colere, moris fuerit. De his nos, quæ ad rem noſtram ſpectare judicavimus, jam expoſuimus nuper, cum de Ardeatium regibus, ac præcipue de Turno, diſſereremus. Præterea, exſtitiſſe quondam in Ardeatino fana ſive ſacella complura communibus Univerſo Latio diis, ſuperſtites nonnulli lapides, in quibus dedicationes illis factæ leguntur, fidem faciunt. Siquidem in Ardeatino reperti lapides, quorum integras inſcriptiones infra, ubi de prædiis in agro Ardeati ſermo erit, dabimus, habent; alter quidem:

o Faſt. l. 2.

IOVI OPTIMO MAXIMO
CONSERVATORI ARISBIAN. PRAEDII

Alter vero:

APOLLINI INVICTO DVCI MVSARVM
ET HERCVLI INVICTO COMITI MVSARVM

Item alius in Venulejorum olim fundo repertus:

CERERI DIVAE AVG.
SACR.

Ex quibus alias permultas aliis diis deabuſque factas dedicationes exſtitiſſe, præſertim in ſingulis prædiis ac villis, tum Ardeatium, tum Romanorum, paullo cul-

cultioribus, per Ardeatinum agrum, in littorali vero maxime ora passim constitutis, prudenter quidem colligimus. Ceterum, Cybelem, quam Magnam deûm Matrem appellabant, Ardeæ templo & sacerdotio peculiari, insignique, quod *Sacranorum* dicebatur, cultam fuisse, ex vetustis lapidum dedicationibus & monumentis in Ardeatino repertis, discimus. Horum lapidum unus hæc habet: *p*

p *Ligor. v.* Ardea.

IMP. CAES. T. AELIO HADRIANO
ANTONINO AVGVSTO PIO PON-
TIF. MAXIMO TRIB. POTEST. IIII.
COSS. II. PATR. PATR.
ARDEAT. SACER. SACRAN. H. V. D. D.
L. ANTRONIVS L. L. MARTIALIS ARCHIGAL-
LVS M. D. M. ID. PERAGEN. CVR. ET TAV-
ROBOL. AC CRIOBOL. FECIT IIII NON. APRIL.
- COSS.

Scilicet: *Imperatori Cæsari Tito Ælio Hadriano Antonino Augusto Pio, Pontifici Maximo, Tribuniciæ Potestatis tertium, Consuli secundum, Patri Patriæ, Ardeates Sacerdotes Sacrani, hoc votum dedicaverunt. Lucius Antronius Lucii Libertus Martialis, Archigallus Magnæ deorum Matris Idææ, peragendum curavit & Taurobolium ac Criobolium fecit quarto nonas Aprilis - - - - Consulibus.* Antequam vero aliquid super eodem lapide ediffero, adjungam alterum, inter vineas Ardeatini agri pariter effossum; & mox de utroque perpaucis, quæ opus erunt, explanabo:

M. D. MAGNAE IDAEAE ET ATTHIDI
MINOTAVRANO SACRVM
M. ANTONIVS M. L. CALLISTRATVS SACER-
DOS ARCHIGALLVS SACRANOS MATRI D.
MAGNAE IDAEAE ET MAGISTER COLL. SACRA-
NI SACERD. ANN. XII. MILLESIMO VRB. ROM.
TAVROBOL. ET CRIOBOL. D. D. P. IIII NON.
APRIL. VALENTE ET VALENTINIANO AVGG. COSS.

Quem

Quem ſic lego: *Matri deorum ſive deûm magnæ Idææ & Atthidi Minotaurano ſacrum. Marcus Antonius Marci libertus Calliſtratus Sacerdos Archigallus Sacranus matri deorum magnæ Idææ & Magiſter Collegii Sacrani, ſacerdotii ſui anno duodecimo, milleſimo autem Urbis Romæ, Taurobolium & Criobolium dedicavit publice quarto Nonas Aprilis. Valente & Valentiniano Auguſtis Conſulibus.* Ex his Servii ſententia ſtabilitur de Sacranis aciebus, quas Virgilius inter Latinos populos, qui ad bellum adverſus Æneam ſuſcipiendum pro Turno convenerant, adfuiſſe memoravit: q

q *Æneid. 7. v. 796.*

Et Sacranæ acies, & picti ſcuta Labici.

In quem verſum Servius: *Dicunt quemdam Corybantem veniſſe in Italiam, & tenuiſſe loca quæ nunc vicina ſunt: (Romæ) ex eo populos ducentes originem, Sacranos appellatos; nam ſacrati ſunt matri deûm Corybantes: alii Sacranas acies Ardeatium volunt.* Immo utrumque huc a nobis producti lapides confirmant; nempe, Ardeates originem ex Corybante ducentes Sacranos dictos; & magnæ deûm matri ſacra feciſſe. Jam vero Sacranorum origo, ex optimis ſcriptoribus, Dionyſio, Livio, Strabone, ac Feſto, concinnata, ſic habet. Mos fuit Latinis Sabiniſque, quem a Græcis acceperant, cum aliquando gravi aliquo periculo vel calamitate urgerentur; belli, puta, ſterilitatis, aut quid hujuſmodi; vel, cum præ nimia jam populi multitudine, civitates inopia laborarent; alicui ex magnis dîs, quos vocabant, vovere & ſacrare quidquid hominum pecudumve ac frugum intra Kalendas Martias, & pridie Calendas Majas uno anno proveniſſet. idque dicebatur *Ver ſacrum*. Itaque ea omnia deo illi cui voverant, poſt id tempus immolabant. quod cum facere, in genus humanum crudele nimis viſum foret; conſuevere exinde Latini eoſdem pueros quos

voverant ac ſacraverant eo vere natos, ſimul ac adulta ætate fuiſſent, velatos ex ſuis finibus pellere, atque alio ad quærendas ſedes dimittere. Sacranos vero Ardeates, quoniam matri deûm magnæ ſacra feciſſe, nos docent lapides; ex urbe Reatina pulſos, Ardeam ſedes quærendo veniſſe, Cluverius exiſtimavit; quia Reatina civitas ei numini dedicata erat; juxta illud: r

r *Sil. Italic. l. 8. v. 417.*

- - - - *Magnæque Reate dicatum*
Cælicolûm matri

Fuit autem Cybele, (quæ penultima producta, addito *l* etiam *Cybelle* quandoque a poetis eſt appellata) fuit, inquam, juxta fabulas, Cybelle filia Cæli & Veſtæ, ſoror & uxor Saturni, mater Jovis & omnium deorum. vocata etiam *Ops*, *Terra*, *Tellus*, *Berecynthia*, *Rhea*, *Dindymene*, *Pales*, *Mater Idæa*, vel *Phrygia*, vel *Peſſinuntia*, *mater alma*, *mater deorum*, *mater magna*, aliiſque vocabulis, a locis ubi præcipue culta eſt, vel a miniſteriis quibus præſidere credebatur. *Cybele* autem dicta a *Cybela* ſeu *Cybala* ſeu *Cybele* oppido Phrygiæ, vel a *Cybelo* ejuſdem regionis monte, quem incolebat, & in quo ejus ſacra primo ſunt inſtituta; vel a *Cybelo* primo ejus ſacerdote: nam aliter alii narrant. Curru quatuor rotarum a leonibus tracto vehi fingebatur, turrita corona caput circumdata, ut pinxit Virgilius: ſ

ſ *Æneid. 6. v. 784.*

- - - - *qualis Berecynthia mater*
Invehitur curru Phrygias turrita per urbes,
Læta deûm partu, centum complexa nepotes,
Omnes cælicolas, omnes ſupera alta tenentes.

Sacerdotes currum præcedere dicebantur, inſtrumenta ſonantia ex ære, quæ cymbala appellabant, quatientes. Hi appellati ſunt *Corybantes*, a Græco verbo κορύπτω, quod eſt *caput jacto*, & βαίνω quod eſt *incedo*; ita

ita enim caput jactantes, & pulsantes cymbala, per vias incedebant, furiosorum in morem. Novi, alias ab aliis hujus vocabuli origines tradi, quas tamen ad rem præsentem minime spectantes prudens omitto. Iidem communiori appellatione dicti *Galli*, eorumque Antistes & primus, *Archigallus*. Porro dicti sunt *Galli* vel a *Gallo* Phrygiæ regionis fluvio, qui templo hujus deæ vicinus erat; vel a *Gallo* primo sacerdote, quem alii *Cybelum* nominant. Hos spadones esse oportebat. Cybele namque Atyn puerum Phrygium formosissimum caste amavit; eumque suis sacris ea lege præfecerat, ut castitatem perpetuo servaret. hic tamen deliquit semel, deprehensusque est a Cybele sub arbore una cum Sangaride Nympha, quam dea telo exanimavit. porro adolescens metu ipse quoque pæne exanimatus, in vicinum montem, cui nomen *Dindyma*, confugit; ubi dolore amens, & pudore admissi facinoris, membra quibus deliquerat, sibi silice acuta abscidit. Facti dea memor per spadones exinde in sacris perpetuo sibi ministrari voluit. Hæc Græci Latinique scriptores, Historici, Poetæ, ac Fabulatores passim. Catulluſque in primis totam de Berecynthia & Atthide fabulam integro carmine Galliambico egregie celebravit. huic initium: *t*

t *Carm.* 62.

Super alta vectus Atys celeri rate maria,
Phrygium nemus citato cupide pede tetigit,
Adiitque opaca silvis redimita loca deæ.
Stimulatus ubi furenti rabie vagus animi
Devolvit illa acuta sibi pondera silice.

Ceterum sacrorum magnæ matris Idææ ritus atque usus tum maxime per Latium est propagatus, cum lapis quem in urbe Phrygiæ Pessinunte deûm matrem dicebant, ingenti pompa Romam est allatus. Quod accidit Urbis Conditæ quingentesimo quadragesimo

sexto, M. Cornelio Cethego P. Sempronio Tuditano Consulibus. tunc enim *Idæa* mater, *u* inquit ex Livio Florus, *deportata est Romam, a Pessinunte oppido Phrygiæ, carmine in libris Sibyllinis invento, pelli Italia alienigenam hostem posse, si mater Idæa deportata Romam esset. tradita autem est Romanis per Attalum regem Asiæ. lapis erat quem matrem deûm incolæ dicebant: excepit P. Scipio Nasica Cn. filius, ejus qui in Hispania perierat: vir optimus a Senatu judicatus, adolescens nondum quæstorius: quoniam ita responsum habebatur, ut numen id ab optimo viro reciperetur, consecrareturque.* Fuse Livius ipse rem descripsit. In eo itinere hic lapis *mater Idæa* sive *deûm* dictus, ablutus est a sordibus pulveris aliisque contractis, per suos sacerdotes, aquis Almonis fluvioli prope Romam, extra Portam Capenam. ubi deinde cultros quoque sanguinolentos, quibus semetipsos secabant, Galli & sua quoque vulnera lavare, & abstergere consueverunt. Sub Augusto autem, M. Agrippa templum matri deûm exstruxit & dedicavit magnificentissime. quod postea purgatum ab omni profani cultus superstitione, Deo Optimo Maximo in honorem veræ Dei ipsius Hominis Matris, ejusdemque Virginis, Sanctorumque omnium, a Bonifacio Romano Pontifice hujus nominis quarto fuit consecratum; & in hanc usque diem religiosissime a Christifidelibus frequentatur. Jam vero primus ex allatis a nobis lapidibus Ardeatinis, memorat *Atthidem Minotauranum*, cui simul cum Cybele facta est ea dedicatio. Ego quidem Atthidem a Corybantibus cultum in Creta insula, ubi quondam Minotaurus infame monstrum fuit, ab Ardeatibus Sacranis designari eo verbo voluisse, interpretarer. Erant enim Corybantes ex prima origine Cretenses. Ceterum varia est hujus nominis *Atys* inflexio apud veteres scriptores. Nam & *Atys Atyos* &

Aty-

u Epitom. Livii l. 29.

Atydos, & *Atthis Atthyos Atthydos*, & *Attin* ſive *Atthin Attinis* ſeu *Atthinis*, penultima producta, item *Attes Attæ* diverſo modo apud diverſos legitur. Porro Sacranorum ſacerdotium ab vilibus de fæce plebis hominibus agitatum, licet colligere, ex eo quod in utroque lapide *Archigallus* nempe Primus & Princeps ſacerdotum Liberti conditionem non exceſſiſſe proditur. Et Juvenalis inter quiſquilias plebis Gallos ipſos enumerat: *x*

x *Satyr.* 8.

- - - - - - - - mitte oſtia, Cæſar,
Mitte; ſed in magna Legatum quære popina.
Invenies aliquo cum percuſſore jacentem,
Permiſtum nautis, aut furibus, aut fugitivis,
Inter carnifices, & fabros ſandapilarum,
Et reſupinati ceſſantia tympana Galli;
Æqua ubi libertas, communia pocula, lectus
Non alius cuiquam, aut menſa remotior ulli.

Hæc tympana, in vetuſtis Catulli exemplaribus etiam *typana* ſcripta leguntur; niſi tamen duo hæc fuere diverſa muſica inſtrumenta. præter hæc, & cymbala, tubam quoque ab iiſdem Gallis adhibitam, & tibiam, idem Catullus meminit: vocatque illos lepide, quod evirati eſſent, *Gallas*, non *Gallos*. De illorum tibiis Horatius quoque: *y*

y *Od.* 1. *l.* 4.

- - - - - - - - - - - - - - - Berecynthiæ
Delectabere tibiæ miſtis carminibus.

Quod vero *Taurobolium* & *Criobolium* in lapidibus facta dicuntur; ea erant taurorum & arietum ſacrificia; quorum ſanguinem ſuppoſita facie excipiebat qui eo ſacrificio initiabatur; & per viginti ſaltem annos purus munduſque habebatur. Græcæ ſunt voces ταυροβόλιον, κριοβόλιον. Nam aries Græce κριὸς. Dolendum quod exſecranda & nefanda hæc ſacra, etiam ſub Chriſtianis Impp. Valente & Valentiniano (quod monet lapis) duraverint.

Ur-

Urbis Ardeæ vetuſtiſſimis monumentis illud addendum quod refert Varro z, ſcilicet, in publico aliquo urbis loco, tempus quo primum *tonſores* in Italiam venerunt, deſcriptum fuiſſe. En illud: *Omnino tonſores in Italiam primum veniſſe ex Sicilia dicuntur, poſt Romam Conditam anno CCCCLIV., ut ſcriptum in publico Ardeæ literis exſtat; eoſque adduxiſſe P. Ticinium Menam.* Ex quo habes, Ardeates Antiquitatis & Hiſtoriæ ſtudioſos fuiſſe, apud quos alia quoque vetuſtiſſimarum rerum monumenta exſtitiſſe, quorum ad nos nulla pervenit fama, vel ex hac ipſa Varronis narratione, facile perſuadeor.

z *De R. R. lib. 2. cap. 11.*

CAPUT V.

De antiquis prædiis & villis, deque paludibus & aquis in Ardeatino.

QUAMQUAM Ardeatini cæli gravitas tanta fuerit ſemper, ut æſtivis autumnalibuſque temporibus ad eos agros ruſticandi gratia nullus adierit; hieme tamen & vere, ruſticatos in Ardeatino Romanos, villarum rudera, quæ in prædiis olim ſitæ erant, teſtimonio ſunt. Licet enim Ardeatinus ager in exemplum inſaluberrimi ſoli afferri antiquitus conſueſſet, ut eſt apud Senecam Lucilio *a*: *Quæ obſervanda tibi ſint, ut tutior vivas, dicam. Tu tamen ſic audias, cenſeo, iſta præcepta, quomodo ſi tibi præciperem, qua ratione bonam valetudinem in Ardeatino tuereris*; & apud Martialem in carmine a nobis jam expoſito: *b*

Ardea ſolſtitio Caſtranaque rura petantur;

tamen per hiemem, cæli hæc gravitas, & ſoli inſalubritas a frigoribus adeo mitigabatur, ut ad temperiem

a *Ep. 105. init.*

b *Sup. cap. 1.*

riem humano corpori gratiſſimam reducerentur. Certe ora hæc maritima univerſa, in qua etiam Ardea, in meridiem vergens, per hiemem quamlibet rigidiſſimam, tepet quam maxime; & nunc quoque hiemali tempore Romanorum ruſticationibus frequentatur. Ceterum antiqua villarum monumenta, quæ in Ardeatino reperta ſunt, partim afferemus cum de via Ardeatina agemus; reliqua ſparſim in eo agro detecta hic damus. Ruſticum quidem prædium in Ardeatino habuiſſe T. Pomponium Atticum equitem Romanum, virtutum ſplendore clariſſimum, ad quem Ciceronis epiſtolarum libri exſtant, ſcimus ex Cornelio Nepote in ejus vita. utrum autem ibidem villam habuerit, non apparet. immo ſine villa, ſaltem ſumtuoſa, prædium id fuiſſe, Nepotis verba indicare videntur. En illa: *Nullos habuit hortos, nullam ſuburbanam aut maritimam ſumtuoſam villam. neque in Italia, præter Ardeatinum & Nomentanum, ruſticum prædium.* Verum Antoniæ familiæ villam in Ardeatino fuiſſe, monet ſepulcralis inſcriptus lapis ibi repertus his litteris *c*:

c *Ligor. v.* Antonia.

C. ANTONI. C. F. OVF.
AEGRILLI. MILES LEGIONIS VII.
CLAVDIAE PIAE FELIC. ET FIDELIS
VIX. ANN. XXXIX. MIL. VII.
D. VIII.
M. AEGRILLIVS FRATRI DVLCISSIMO
F. C.
ARA PED. PRID. KAL. DECEMB.
GERMAN. ET CAPITONE COSS.

Quod pariter gens Septimia rus, ſeu prædium, ſeu villam, in Ardeatino poſſederit, locus *Septimianum*, dictus *d* in Agro Antiati ſimul & in Ardeatino innue-

d *Ligor. v.* Villa.

nuere videtur. De Quintilia teſtis eſt lapis alter ibidem effoſſus in hæc verba: *e*

e *Ap. Fabret. cap. 1. fol. 30.*

D. M.
SEXTVS QVINTILIVS
IVCVNDVS SEXTO QVINTILIO
ABASCANTO PATRI.

Et Manii Septici villam in Ardeatino, in qua ſepultus fuerit, cippus, quem, nunc Ardeæ ante Sacram Ædem proſtantem, nuper legimus, innuere videtur. Is ita habet:

D. M.
MANI
SEPTICI
PATRIS

Villam quoque *Priapi* dictam, in Ardeatino ſitam, leginus *f*; ſiquidem Leo Rom. Pontifex hujus nominis Quintus, qui ſedit Rep. Orb. anno nongenteſimo ſeptimo, *in villa Priapi, agri Ardeatini* natus traditur. Alias quoque villas permultas olim in Ardeatino ædificatas, ſubſtructiones paſſim & rudera magnificentiſſimarum ædium ſparſa ubique ac disjecta per hunc agrum, certiſſime teſtificantur. De quibus etiam Lipſius *g* ſcripſit: *Vidimus ipſi apud Oſtiam & Ardeam rudera, & per ſilvas illas aut vepreta; quot columnæ aut earum fragmina, cryptæ, porticus, & disjecta ædium membra!* Et nos ipſi, qui hæc Ardeatina monumenta in unum collegimus, Lipſio ſubſcribimus, oculatique teſtes, magnificentiſſimarum ruinarum ingentes moles, frequentiſſime per hos agros, ſe ſe offerre inveſtigantibus, deprendimus. Unde Romanos etiam Ardeatina ruſticatione, littorea præſertim, delecta-

f *Burius Notit. Romann. Pontiff.*

g *Lib. 3. cap. 4. de magnignitud. Rom.*

lectatos *h* satis apparet. Quare Marcum illum Ludium Elotam pictorem celeberrimum, quem Junonis Reginæ templum Ardeæ pinxisse scitissime, ex Plinio cognovimus, in villarum paluſtrium picturis, vario lusu elegantissimis & argutissimis, Ardeatini agri paluſtres villas adumbrasse, pro certo habeo. Quas enim potius villas pingi Ardeates in suo Junonis Reginæ templo jussissent, quam suas? Quod autem hæ paluſtres essent magnam partem, situs agri facile persuadet. Non solum enim alluentis maris stagnantes aquæ paluſtre solum Ardeatinum faciebant; verum etiam palus, sive lacus, de quo nonnulla hic differenda jam suppetunt. Hanc Virgilius *vastam paludem* nominavit. *i*

h *Vid. cap. 4. hujus libr.*

i *Æneid. 12. v. 742.*

Ergo amens diversa fuga petit æquora Turnus;
Et nunc huc, inde huc incertos implicat orbes.
Undique enim densa Teucri inclusere corona;
Atque hinc vasta palus, hinc ardua mœnia cingunt.

Rursus lacum ripis præcinctum dixit: *k*

k *Ibid. v. 756.*

Tum vero exoritur clamor: ripæque lacusque
Responsant circa, & cœlum tonat omne tumultu.

Hunc Columella Turni lacum vocat: *l*

l *de Re Rust. l. 10.*

Et Turni lacus, & pomosi Tiburis arva.

Eumdem illum cum Juturnæ lacu seu fonte fuisse, crediderim, juxta Numicium fluvium; de quo Servius, quænam fuerit quam Maro *vastam paludem* appellavit, veluti explicaturus, hæc attulit: *Juturna fons est in Italia saluberrimus, juxta Numicium fluvium, cui nomen a* juvando *est indictum. Cum enim naturaliter omnis aqua noxia sit extraneorum corporibus, hic omnibus saluberrimus fons est. De hoc enim fonte Romam ad omnia sacrificia aqua adferri consueverat. Bene ergo Virgilius Turno fingit sororem, quæ laborantes juvare consuevit. Huic fonti per aquarum inopiam sacrificari solet; cui Lutatius Catulus*

primus templum in Campo Martis fecit. Nam & Juturnas ferias celebrant qui artificium aqua exercent; quem diem festum Juturnalia dicunt. Varro rerum divinarum quartodecimo ait: Juturna inter proprios deos nymphasque ponitur. Ceterum nomen Juturnæ huic fonti factum a Turni sorore Juturna, Vossius *m* asserit; eo quia hæc in lacu, ex quo fons manabat, submersa fuisset; illique exinde fontem tamquam præsenti & præsidi earum aquarum numini Rutuli dedicassent. Latinos quoque primum, mox etiam Romanos, Juturnæ ad aquarum copiam impetrandam sacrificasse, ex allatis unius inter veteres Servii testimonio discimus. Cui Vossius addidit, in Ardeatino prope Numicium amnem fuisse locum sacri apud hunc fontem, ubi Latini & Romani deæ litabant die Juturnalium festo, & cum aqua pluvia indigerent. Juturnæ fonti sive lacui hodie nomen *Treglio*. Ceterum de fabulis fabulosisque sacris Juturnæ Juturnaliumque abunde satis primo hujus operis libro actum est *n*, quæ me, historicam præsertim veritatem secutum, repetere hic minime juvat. ac proinde illorum fusiorem desiderantibus narrationem, locum unde petant, significasse, suffecerit. Lacus hic centum ferme ab hinc annis exsiccatus fere omnino fuit; aquis per subterraneos meatus alio distractis, a Cardinali Serra, qui villam eo loci habebat: ex quo aeris salubritas viciniæ aliquatenus restituta est. Quod etiam Urbani VIII. Pontificis Maximi apud Gandulfi Castrum lapides inscripti testantur. *Numicius* quoque sive *Numicus* fluvius inter Ardeatini Laurentisque agrorum fines decurrisse olim memoratur. Et celeberrimus quidem Æneæ, aliorumque fabulosorum nominum decantatis figmentis. Cum tamen ad Laurentes magis quam ad Ardeatinos agros spectaverit; de illo ejusque fabulis fuse acturi cum de

Lau-

m *De Idololatr. l. 8. c. 5.*

n *Corradin. Vet. Lat. T. 1. l. 1. c. 25. p. 346. & seqq.*

Laurentibus hiſtoriam ſcribemus, hic tantum, quo loco fuerit, ejuſque originem attingimus. Itaque Numicius fluviolus Latii fuit, ex lacu *Nemo* ſive Nemorenſi, hodie *Lago di Nemi*, originem ducens, ut quibuſdam *o* placuit. Ardeates Campos ab Laurentibus olim diſterminaſſe perhibetur; verum Lavinio proximior quam Ardeæ labebatur. Celebrior tunc factus eſt, cum in illo Æneas ſubmerſus, mox ut videri deſiit, inter deos Latii indigetes fuit recenſitus. Hic, ex veterum nonnullorum ſententia, cum decreviſſet, in fontem redactus eſt. Ex hoc amne, ſeu fonte, tantum, Veſtæ libare fas fuiſſe, traditur. Unde, potiori ex parte, ex aſſiduis inde libationibus captis eſt exſiccatus. Ligorius nihilominus fluentem illum adhuc ſe ſe vidiſſe, memoriæ prodidit, atque ab incolis *Rivo di Nemi*, ſeu ſimpliciter *Rivo*, appellari, teſtatus eſt. De ſuo deinde Ligorius addidit, ex hoc flumine viam, quam *Numici* Horatius dixit, nomen mutuatam, Brunduſium uſque duxiſſe. Nos tamen infra, ubi de via Ardeatina ſermo erit, hanc ſententiam paullo attentius examinabimus. De Numicio nonnulla hiſtorici, Livius, & Dionyſius; plura poetæ, Virgilius, Ovidius, & Silius tradiderunt. quæ omnia, cum de Laurentibus agemus, in medium afferemus. Hoc loci hæc tantum innuiſſe, ſatis eſto.

o Ligor.

Ceterum & ſulphureæ quædam aquæ a veteribus in Ardeatino erumpentes memorantur. Hæ nunc quoque non longe a mari, Ardeam inter atque Antium viſuntur, & fontium inſtar ſcaturiunt. Quamquam autem ſulphurea graveolentia accedentes vexent, ac prope fugent; omnemque circa locum late ſterilem reddant; utiles nihilominus ægris corporibus deprehenduntur. Illudque peculiare ac rarum admodum ſervant; nam licet ſulphure, quod calidiſſimum eſt,

ſint oppletæ; frigidæ tamen vehementer ſentiuntur. *Aquas Ardeatinas*, antiquitus nominatas perhibent. Uſus earum in medicinam hodie non ita frequens; at ex illis eruendo ſulphure magni proventus fiunt. Adeoque ſulphuris prope illas officinæ ſunt exſtructæ; & conveniens loco nomen *la Solforata:* haud ita procul a Turri, in ora maritima, *Torre S. Lorenzo* appellata, ex ædicula forte Divo Laurentio ſacra, quæ illi proxime adjuncta eſt. De ſulphureis Ardeatinis aquis ita Vitruvius *p*: *Sunt etiam odore & ſapore non bono frigidi fontes, qui ab inferioribus locis penitus orti, per loca ardentia tranſeunt; & ab his, per longum ſpatium terræ procurrentes, refrigerati perveniunt ſupra terram; ſapore, odore, coloreque corrupto; uti in Tiburtina via flumen Albula, & in Ardeatino fontes frigidi eodem odore, qui ſulphurati dicuntur, & reliquis locis ſimilibus. Hi autem cum ſint frigidi, ideo videntur aſpectu fervere, quod cum in ardentem locum alte penitus inciderunt; humore & igni, inter ſe congruentibus, offenſi, vehementi fragore validos in ſe recipiunt ſpiritus; & ita inflati, vi venti coacti, bullientes crebre per fontes egrediuntur. Ex his autem, qui non ſunt aperti, ſed aut ſaxis aut alia vi detinentur, per anguſtas venas vehementia ſpiritus extruduntur ad ſummos grumorum tumulos. Itaque qui putant tanta ſe altitudine, qua ſunt grumi, capita fontium poſſe habere, cum aperiunt foſſuras latius, decipiuntur.* Hæc Vitruvius de Aquarum Ardeatinarum ſulphurearum natura. Explicaturus vero, quare ſæpenumero in ſummis tumulis, quos *grumos* vocat, erumpentes fontes iſti ſulphurei, ſi latior paullo foſſa ibidem aperiatur, decreſcere veluti ac ſubſidere deorſumque trahi deprehendantur, hæc ſubdit: *Namque uti æneum vas non in ſummis labris plenum, ſed aquæ menſuram ſuæ capacitatis habens e tribus duas partes, operculumque in eo collocatum cum ignis vehemen-*

p *cap. 3. l. 8. initio.*

menti fervore tangatur, percalefieri cogit aquam; ea autem, propter naturalem raritatem in se recipiens fervoris validam inflationem, non modo implet vas, sed spiritibus extollens operculum, & crescens abundat; sublato autem operculo, emissis inflationibus in aere patenti, rursus ad suum locum residit: ad eumdem modum capita fontium, cum sunt angustiis compressa, ruunt in summos spiritus aquæ bullitus; simul atque latius sunt aperti, exinaniti per raritatem liquidæ potestatis residunt, & restituuntur in libramenti sui proprietatem. Denique de morbis, quibus hujusmodi aquæ sulphureæ, illisque similes, utiles sunt, ita disseruit: *Omnis autem aqua calida, ideo quidem est medicamentosa, quod in præviis rebus percocta, aliam virtutem recipit ad usum. Namque sulphurosi fontes nervorum labores reficiunt percalefaciendo, exsugendoque caloribus e corporibus humores vitiosos. Aluminosi autem, cum dissoluta membra corporum paralysi, aut aliqua vi morbi, receperunt; fovendo per patentes venas refrigerationem, contraria caloris vi, reficiunt; & ex hoc continenter restituunt in antiquam membrorum curationem. Bituminosi autem, interioris corporis vitia potionibus purgando, solent mederi. Est autem aquæ frigidæ genus nitrosum, uti Pinnæ Vestinæ, Cutiliis, aliisque locis similibus, quod potionibus depurgat; per alvumque transeundo etiam strumarum minuit tumores.* Hactenus Vitruvius.

CA-

CAPUT VI.

De Via Ardeatina.

ARDEATIUM urbi tot aliis ceteroquin nominibus, ut hactenus expoſuimus, celebri, & illud ad majorem celebritatem acceſſit; quod viam ex iis, quas *Conſulares* ſive *Militares* appellavere, lapide ſtratam, propriamque ac peculiarem habuerit; quæ Roma Ardeam recta ducebat; ab eaque urbe, *via Ardeatina* vocata eſt. Initium duxiſſe traditur a Capena Porta, unde Appia quoque incipiebat. Hinc factum, ut cum indidem initium ſumerent, ſæpe vicinæ eſſent, aliquando etiam alia in aliam incideret; promiſcue ab ſcriptoribus, præſertim Chriſtianis, non ſemel *Ardeatina* pro *Appia*, & viceverſa, uſurpatæ fuerint. Ardeatina tamen a Capena Porta Romæ incipiens ad dexteram deflectebat, ad ſui lævam relicta Appia. Lapide ſtratam fuiſſe, teſtantur quæ identidem ſuperfuere, reliquiæ. Illam munitam atque ornatam, inſtar Appiæ, & ab dextra lævaque, Romanorum, atque Ardeatium ſepulcralibus monumentis continuatam, ruinæ ruderum ac maceries, perpetuuſque Latinorum mos, facile perſuadent. Quis tamen illam ſtraverit ac muniverit, plane non conſtat. Credibile quidem eſt, antiquiſſimis temporibus partim ab Ardeatibus, ab Romanis partim exſtructam; cum iter ad Ardeatinam urbem atque Coloniam, tam celebrem, tamque opportunam, maxime frequens Romanis eſſet; multoque frequentius Ardeatibus Romam. Ceterum, Numicium quemdam Auguſti ævo ſuperſtitem, viam Ardeatinam majore impenſa atque opera lapide denuo ſtraviſſe atque ornaſſe, non inanis eſt conjectura. Si-

qui-

quidem Horatius de Numici via mentionem fecit his verſibus: *a*

a *Ep.* 18. *l.* 1.

Alter rixatur de lana ſæpe caprina;
Ambigitur quid enim? Caſtor ſciat, an Docilis plus;
Brunduſium Numici melius via ducat, an Appi.

Quæ Ardeatina fuiſſe, rem attentius perpendenti, ſane videbitur. Viam enim Numiciam, præterquam Horatius hoc loco, nullus veterum ſcriptorum, quod ego quidem noverim, hactenus nominavit. Rurſum quænam alia via ab Urbe, præter Appiam & Ardeatinam, Brunduſium tetenderit, ex antiquis Conſularibus & Militaribus, non apparet. Quod autem Ardeatina Brunduſium tulerit, patet ex eo, quod idem initium cum Appia a Porta Capena, quæ Capuam, & exinde Brunduſium ducebat, via pariter Ardeatina haberet; & ab Appia perpetuo, haud multum diſtaret; quin aliquando in ipſam incideret. Itaque euntes via Ardeatina commode Brunduſium pergere poterant: quod enim, inde flectendo ad dexteram, Ardeam uſque, littorali itinere per Ardeatinam, plurium aliquot milliariorum diſpendium ſubibant; id, planioris, amœnioris, & mollioris, juxta mare, itineris compendio, penſabant. Unde levis aliqua quæſtio merito oriri poterat; utrum via Ardeatina ab Numicio ſtrata, & reparata, melius Brunduſium, an Appia via, iter facientes perduceret. Neque dixeris cum Georgio Fabricio in hunc Horatii locum, viam quam hic poeta *Numici* appellavit, ipſiſſimam Appiam fuiſſe. Quamvis enim inter futiles quæſtiones ac de lana caprina (ut eſt in veteri proverbio) hanc quoque de Appii & Numici viæ præſtantia, recenſuerit Horatius; aliquem nihilominus quæſtioni locum eſſe exi-

existimavit, atque innuit: qui nullus omnino relictus esset, si eadem ac ipsissima Numici atque Appia via fuisset. Quod etiam ex præcedenti carmine sic confirmo: *Ambigitur quid enim? Castor sciat, an Docilis plus*. Quemadmodum enim, aio, ludicra & futilis quæstio de scientia Docilis & Castoris gladiatorum; uter scilicet, utri præstiterit; ut locum habuerit, *duos* illos, fuisse homines, quamvis æque rudes & imperitos, *duos* tamen *diversos* fuisse necessario arguit; neque de hoc ullus umquam dubitavit, quin de *duobus* hominibus ibi locutus sit vates: ita de *via Numici* & de *via Appî*, quod duæ fuerint distinctæ, quamvis viciniſſimæ, & eodem ferme deducentes, scilicet Brundusium, pari ratiocinio dicendum est. Neque me movet, quod Fabricius idem, viam Numici, de qua Horatii locus adductus, eamdem omnino cum Appia fuisse confirmaturus, subjecit. idcirco nempe Horatium in altera ad Numicium epistola Appiæ viæ consulto mentionem feciſſe, eo quod a Numicio ipso novis lapidibus instrata fuerat, atque munita, sic: *b*

b *Epist.* 6. *l.* 1.

> *Quidquid sub terra est, in apricum proferet ætas.*
> *Defodiet condetque nitentia. cum bene notum*
> *Porticus Agrippæ, & via te conspexerit Appî,*
> *Ire tamen restat Numa quo devenit & Ancus.*

Non me, inquam, hoc movet, aut de sententia vel hilum dejicit. Nam vel hic Horatius viam Appiam posuit pro celeberrimo loco ac notissimo, convenis adveniſque, Græcis, Latinis, Barbaris frequentissimo, nihil moratus quod Numicius quoque viæ Consularis partem instraviſſet; quemadmodum certe fecit, Agrippæ Porticum nominando, cui nihil prorsus peculiare intererat cum Numicio: vel, si ad opus Numi-

mici reſpexit, viam Appî nominando; id feciſſe dicam ea de cauſſa, quia Via Ardeatina ab Numicio inſtrata aliquando in Appiam incidebat; unaque eo tractu via erat. Id quidem cum Fabricio cenſeo tenendum, erraſſe illos qui in eo Horatii carmine:

Brunduſium Numici melius via ducat, an Appî,

errorem in voce *Numici* irrepſiſſe ſuſpicati ſunt; eo quod ab Numicio fluvio, *Numici* penultima producta, non vero, ut ait Horatius, *Numici* correpta pænultima, dicendum ſit. In primis enim rotunde negamus, viam Numici ab Numicio fluvio nomen derivaſſe. Licet namque Numicius fluvius prope Ardeam, adeoque etiam prope Ardeatinam Viam defluxerit; ab illo tamen viam nullam Conſularem denominatam umquam fuiſſe, diſcimus: præſertim, cum fluviolus breviſſimi curſus exſtiterit. Neque aliam ullam ex Conſularibus viis, puta Appiam, Flaminiam, Æmiliam, aliaſque ab ullo flumine umquam nomen mutuatas legimus. quamquam a multo majoribus quam Numicius, alluerentur interdum; ut Tiberi, Aniene, Pado, ceteriſque ejuſmodi. Ab auctoribus autem, a quibus inſtratæ fuerant, nomen ſæpiſſime deſumſere. veluti de ipſis Appia, Flaminia, atque Æmilia, certiſſimum eſt. Exinde, nullo pacto eam vocem *Numici* in aliam *Minici* vel *Cimini* mutari poſſe, contendo. Viam enim *Miniciam* vel *Ciminam* non Brunduſium ſed in Hetruriam deduxiſſe, ſat ſcimus. ſiquidem via fuit quæ per Ciminum montem, hodie: *la montagna di Viterbo:* in Hetruſcos ferebat. Unde Virgilius c: *Et Cimini cum monte lacum*, ex quo aquas in urbem perductas, *Ciminas* dictas, Victor commemorat. Itaque in meridiem Via Numicia, ſive Ardeatina vergens, a Porta Capena Brunduſium, (poſtquam Ardeam recta duxiſſet) perducere poterat. Ex

c Lib. 7.

illa ſcilicet, in Appiam circa Lanuvinos fines intrantibus viatoribus: via vero *Minicia* ſeu *Cimina* Septemtriones ſpectabat; incipiebatque, cum Flaminia, a Porta Flumentana. & in Hetruriam juxta Ciminum lacum perque Ciminum montem, a quibus nomen acceperat, deferebat. Unde non modo *via Numicia* & *Cimina*, aut *Minicia*, duæ fuerunt, diſtinctæ ac diverſæ penitus, viæ; verum etiam e regione oppoſitæ. Quare nulla potuit inſtitui quæſtio, utrum melius Appia an Cimina vel Minicia via Brunduſium duceret. quæ, ſi fuiſſet inſtituta, non fuiſſet profecto levis ſolum ac futilis, deque lana, ut ajunt, caprina; ſed prorſus ſtultiſſima. Totum namque pondus ac momenta rationum habuiſſet, qui pro Appiæ præſtantia, circa Brunduſinum iter, ſtetiſſet. Quippe *Brunduſium longæ finis chartæque viæque* ajebat idem *d* Horatius de Appia locutus. Quæſtio autem *de lana caprina* non appellatur hujuſmodi; quæ ſcilicet pro alterutra parte, graviſſima, atque evidentiſſima rationum habeat momenta; verum quæ utrimque nullis fere rationibus controverti atque agitari poſſit; cujuſque definitio æque fere probabilis ſit.

d *Sat. 5. l. 1.*

Ab Imperatore autem Lucio Septimio Severo ſive Severo Alexandro eamdem Ardeatinam viam reſtitutam & *Severianam* (ut olim Appia dicta fuit *Trajana*, & *Domitiana* ab illis Imperatoribus reſtituta) nominatam, memorat inſcriptus lapis, inter ipſius viæ ruinas detectus. Ex quo etiam ab Maximino Cæſare eamdem munitam conſtat. quemadmodum ex alio milliario lapide, *ad Quintum decimum*, ab Julio Maximo Cæſare metas milliarias in eadem via conſtitutas, ſeu reſtitutas fuiſſe, comperimus. En lapides: *e*

e *MSS. Card. Corradin.*

IMP.

IMP. CAES. MAXIMINVS
PIVS. FELIX. AVG.
PONTIF. MAX. GERMAN. MAXIM.
TRIB. POTEST. IIII. IMP. V.
COS. PROCOS. P. P. ET
IMP. CAESAR. MAXIMVS. F.
GERM. MAX. DAC. MAX.
PRINCEPS. IVVENTVTIS
LITVS. VICINVM. VIAE. SEVERIANAE
ASSIDVIS. MARIS. ADLVENTIS
FLVCTIBVS. AD. LABEM. RVINAE
LABEFACTATVM. AGGERIBVS
MARINI. OPERIS. A FVNDAMENTIS
VT. PERICVLVM. COMMEANTIBVS
ABESSET. EXTRVI. CVRARVNT.

Hunc lapidem a Ligorio viſum, & a Gudio recenſitum ſic damus; non ut Gruterus in prima editione ex ſchedis Cittadini protulit, cum nominibus Antonini Pii & Alexandri Elagabali Imperatorum, quibus *Germanici* & *Dacici* nomina minime conveniunt, ſed *Maximino*. At alter, licet corroſus ex parte, ac deficiens, ſic habet:

IMP. CAES. M. IVLIVS MAXIM.
PIVS FELIX AVG.
PONTIF. MAXIMVS GERM. MAX.
TRIB. POTEST. IIII. IMP. V.
COS. PROCOS. P.P. EX TERM.
LAP. MILL. N°. XV
- - - - - - - - - - - - -
- - - - - - - - - - - - -
ARDEATIN. SEVERIAN.

Auctoribus & Reſtitutoribus viæ Ardeatinæ utcumque detectis, ac ſignificatis; ea quæ, pauca admodum, ad noſtram ætatem perducta ſunt, monumenta, in eadem via olim poſita, recenſebimus. Ac primo quidem monumentum fuiſſe M. Aurelii Domitiani (non

illius quidem qui Imperator fuit, (nam Flavius Domitianus vocatus est) primum inter atque secundum lapidem, Ardeatina via, sepulcralis ibidem reperta inscriptio nos docet; eo nempe loco in quo nunc ab Æde Divo Sebastiano sacra, extra Capenam, iter est commune ad Divi Pauli, Ostiensi via; atque ubi, commodum, Appia atque Ardeatina aliquantulum spatii concurrebant: *f*

f *Aringh. Rom. Subterr. l. 3. c. 11. p. 450.*

D. M.
M. AVRELIVS. DOMITIANVS. SE. VIVVS.
EMIT. ET. COMPARAVIT. LOCVM.
VIRGINEM. A. SOLO. FECIT. SIBI.
ET LIBERTIS. LIBERTABVSQVE.
POSTERISQVE. EORVM.
ITEM. BEBIAE. PARTHENOPE
CONIVGI. SANCTISSIMAE. IN. FRONTE.
PEDES. P. M. XVI. IN. LATVS. PEDES. XVI.
ITEM. IN. LATVS. IN. VIA. ARDEATINA.
RESPICIENTE. LONG$^{\overline{V}}$. PEDES.
P. M. XXIIII. ET LAT$^{\overline{V}}$. PEDES. X.
V. H. M. EX. H. N. S.
M. AVRELIVS. STASIMVS. LIB. COEPTVM.
A. PATRONO. SVO. CONSVMAVIT.
SIBI ET SVIS. QVOD. SI. QVIS. POST.
OBITVM. MEVM. VENDERE.
AVT. DONARE. VOLVERIT. INF.
AN. PONT. F. F. L. N.

In qua, si explicavero has notas V. H. M. EX. H. N. S. atque alias: INF. AN. PONT. F. F. L. N., omnia constabunt; nam reliquæ per se patent. Itaque primæ significant: *Voluit hoc Monumentum Externos Hæredes non sequi*. sive, quod in idem recidit: *Veto* seu *Vetat*, aut *Vetuit*, *hoc Monumentum Exteros*, sive *Externos*, *Hæredes ne sequatur*, sive *ne sequeretur*. Aliæ vero sic exponuntur: *Inferat Annuos Pontificibus Quinquaginta Nummos*. Porro, ad secundum hac via lapidem, cippus rudis detectus est, quem capite Inscriptionum decimo, pagina centesima nonagesima septima, Fabrettus inscriptum affert his notis: LO-

LOCVN
SANCTV
M SACR
VM.

Ex quibus, utrum ad Chriſtianos, utrum ad deorum cultores pertinuerit cippus idem, non probe diſpexeris. Inter ſecundum vero & tertium lapidem viæ Ardeatinæ, fluxiſſe aquas *Retrices* dictas, tradidit, ex Catone, Feſtus ſic : *Retricibus, cum ait Cato, in ea quam ſcripſit, cum ediſſertavit Fulvii Nobilioris Cenſuram; ſignificat aquam eo nomine, quæ eſt ſupra viam Ardeatinam, inter lapidem ſecundum & tertium; qua irrigantur horti infra viam Ardeatinam, & Aſinariam, uſque ad Latinam.* Sexto lapide, templum Termini conſtitutum fuiſſe, videtur innuere Ovidius his verſibus: g

g *Faſt. l. 2.*

Eſt via quæ populum Laurentes ducit in agros,
Quondam Dardanio regna petita duci.
Illac lanigeri pecoris tibi, Termine, fibris
Sacra videt fieri ſextus ab Urbe lapis.

Etenim via Ardeatina in Laurentes quoque agros recta ducebat; nec via aliqua Laurentina ab Ardeatina diverſa, de qua locutus fuerit Ovidius, nobis adhuc innotuit. Ad lapidem pl. m. nonum, fuit diverticulum ab læva Ardeatinæ, lapidibus ſtratum, in Appiam; quod Bovillas ducebat, ab Holſtenio accurate inveſtigatum, atque detectum *h*. Ad decimum quintum lapidem, præter metam terminalem, quæ decimum quintum milliare ſignabat, (ut in ſingulis milliariis erant) quamque nos huc attulimus; reperta eſt etiam altera a nobis pariter allata inſcriptio, quæ viam littoralem a Maximino Imperatore munitam, narrat. eam proinde ibidem olim in baſi, vel etiam ædificio aliquo, fornice puta, ſacello, vel ponte, ere-

h *Ap. Corradin. Vet. Lat. t. 2. c. 20. p. 187.*

erectam fuisse credimus; quam postea vel temporis injuriæ, vel odium populi in Maximini memoriam diruerunt. Siquidem lacera crudeliter, fracta, atque exesa demum, reperta est. Nonnulla alia monumenta, scimus quidem juxta viam Ardeatinam, vel certe non longe ab ipsa, olim posita; verum incerto loco. Itaque illa nullo hic servato ordine referemus. Arisbianum fundum juxta viam Ardeatinam, lapis in ea vicinia effossus, testatur, his notis:

ARISBIANVM FVNDVM
QVOQVE VERSVS P. M. D. IX.

Scilicet: *Pedes mille, Digiti novem*, vel *Pedes mille quingentos novem*. Et lapis alter, Arisbiam gentem Jovi Conservatori sacellum, sive aram, in eadem via construxisse, docet: *i*

i *Ligor. v.* Arisbiana.

IOVI OPTIMO MAXIMO
CONSERVATORI ARISBIAN.
PRAEDII. L. MENENIVS
L. L. ARISBIVS ET ARISBIA MENENIANA
L. D. P.
III. NON. AVG. P. CORNELIO ANVLINO ET
M. AVFIDIO FRONTONE COSS.

In agro pariter Ardeatino, prope viam Ardeatinam Severianam, fuit villa P. Toanii Severiani Nyssii Musici L. Septimii Severi Imperatoris; ubi detectæ fuerunt Dedicationes aliquæ, ex quibus hæc legi potuit:

APOLLINI INVICTO DVCI MVSARVM
ET HERCVLI INVICTO COMITI MVSARVM
CONSERVAT. PRAEDII TOANIAN.
P. TOANIVS NYSSIVS SEVERIANVS L. SEPT.
SEVERI PERTINACIS AVG. MVSICVS RVRI - - -
PECVNIA -
TOANIAE -
TOANIO ALL. -

Item

Item non longe ab Ardea, in eadem Ardeatina via, loco ubi Venulejæ gentis ſepulcrales lapides detecti ſunt, plures e ruinis, ubi ſepultæ diu jacuerant, erutæ fuerunt ſtatuæ. quas inter, inſignem unam fuiſſe memorant Bacchi vuas gerentis, & cantharum, ad exprimendum ex illis muſtum: quemadmodum etiam Silenum Bacchi altorem inceſſiſſe, Virgilius cecinit: *k*

k *Ecl.* 6. *v.* 13.

- - Chromis & Mnaſylus in antro
Silenum pueri ſomno videre jacentem,
Inflatum heſterno venas, ut ſemper, Iaccho.
Serta procul tantum capiti delapſa jacebant,
Et gravis attrita pendebat cantharus anſa.

Ibidem reperta dedicatio ædiculæ, ſive ſacelli, ſive aræ, ſive ſtatuæ, Cereri facta a Venulejis in hæc verba:

CERERI DIVAE AVG.
SAC.
L. VENVLEIVS VENVSTVS
ARDEAT. EQ. ROMANVS
AVG. N. EVOCAT.
KAL. AVG. D. D.
P. CORNELIO DOLABELLA
C. IVLIO VERO SVLLANO COSS.

Denique lapis terminalis a Grutero *l* relatus, ex membranis veteribus Balbi agrimenſoris, de Ardeatina via mentionem facere videtur. Illum hic damus:

l *Gruter. pag.* 1078. 6.

EX.

EX. AVCTO
RITATE. IMP. T
AELI. HADRI
ANI. ANTO
NINI. AVG
PII. PP. SENTĒ
TIA. DICTA. P
TVSCENIVM
FELICEM
PP. II. DETER
MINANTE
BLESIO. TAV
RINO. MIL
COH̄ V̄I. PR
MESORE. AGRA
RIO. TR
ARDEATN̄.

Villam & ſepulcrum Antroniæ gentis in Via Ardeatina fuiſſe, Ligorius *m* aſſeveravit. Cum tamen nullum ſuper hoc lapidem aut teſtimonium aliud protulerit, fides penes ipſum eſto. Atque hæc Viæ Ardeatinæ profana ſunt monumenta; quæ quidem maxima cura atque induſtria unde unde colligi potuerunt.

m *Ligor. de Famil. Rom. tag. mihi* 44.

Sacra vero Chriſtianorum multo plura, eaque illuſtriora, afferenda ſupereſſent, eadem via adhuc exſtantia; quæ tamen, quia hujus loci non ſunt, in quo Latii tantum Profani monumenta perſequimur, pro dignitate non exponam; id in Latio Sacro, Deo dante, ac vita comite, præſtiturus. Quod quamquam ita ſe habeat; committere tamen non poſſum, quin ſacra eadem monumenta curſim hic quoque ſaltem innuam,

nuam, & vel nomine tenus, pauciſſimis, recenſeam. Itaque, plura Chriſtianorum ſacra monumenta, ac ſepulcra exſtitiſſe via Ardeatina, rerum Chriſtianarum ſcriptores docent. Fortiſſimorum præſertim Heroum, qui vel ipſius vitæ compendioſo maxime diſpendio, acerbiſſimos inter cruciatus, glorioſum Chriſto, ejuſque doctrinæ ſanctiſſimæ, teſtimonium tulerunt; quos Græco nomine *Martyres* appellamus. Sævientibus namque Romanis Imperatoribus in Chriſti aſſeclas, eoſque crudeliſſime ubique locorum inſectantibus, ad cavernas & ſpeluncas illorum furor ac rabies eoſdem compulerant. Cumque arenariæ foſſæ, ob erutam, ad Romana magnificentiſſime exſtruenda ædificia, arenam, ingentes ac perpetuæ fierent in Romæ ſuburbiis; atque in prædiis, potiſſimum, quæ circa Conſulares, Militareſque vias eſſent; inde factum eſt, ut Chriſtiani opportunas exiſtimarent, in quibus ſuos, qui pro Chriſto fortiter occubuiſſent, inter avias ab hoſtibus latebras, tumularent. Quin iiſdem in ſubterraneis locis vivi quoque iidem ſæpiſſime latitarunt; ſacroſque cœtus coegerunt; & per eximias auſteræ piæque vitæ exercitationes, ad ſimile majoribus ſuis teſtimonium Chriſto ferendum, ſe ſe compararunt. Hæc loca κοιμητήρια *Cœmeteria* Greco vocabulo paſſim nominantur; ſcilicet *dormientium loca*. quod ſpem firmiſſimam Chriſtianorum, ad novam æternamque vitam certiſſimi reditus, plane demonſtrat. Siquidem *ſomnum*, illumque perbrevem, appellare mortem hominis Chriſtianis imbuti ſacris, communis piorum omnium uſus fert antiquiſſimus. Cum, e contrario, profani deorum cultores vel *ſomni* nomine non appellabant; vel ſi eorum aliqui *ſomnum* illam aliquando dixiſſent, *longum* illum, immo *perpetuum*, ſine ulla in vitam reditus ſpe, no-

minabant. Quale id Horatii: n

n Od. 11. l. 3.

Surge, ne longus tibi ſomnus, unde
Non times detur.

Et ejuſdem aliud: o

o Od. 24. l. 1.

Ergo Quintilium perpetuus ſopor
Urget?

Quale denique illud Catulli: p

p Carm. 5.

Soles occidere & redire poſſunt:
Nobis cum ſemel occidit brevis lux,
Nox eſt perpetua una dormienda.

Chriſtiani, e contrario, Davidis illud ſemper occinuerunt, ingeminantes q: *Cum dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce Hæreditas Domini*. Itaque, via Ardeatina hæc perhibentur antiquitus Sanctorum *Cœmeteria* exſtitiſſe; quorum nonnulla ſuperſunt adhuc atque viſuntur. r Marci, Romani Pontificis hujus nominis unici; cujus tamen ſacrum corpus ad Divi Marci in Urbe requieſcit. Balbinæ Virginis, cujus in Aventino ſacra ædes. Marci & Marcelliani germanorum fratrum, quos ferventiſſimæ inclyti ducis Sebaſtiani cohortationes ad Chriſtum traduxerant; fortiſſimoſque in cruciatibus, & adverſus cognatorum illecebras conſtantiſſimos reddiderant. Petronillæ Virginis, quam Divi Petri, alii ex uxore ſuſceptam filiam, alii in Chriſto genitam per Lavacrum Fidei, & Chriſtiana documenta fuiſſe, crediderunt; cujus ſacræ, in Vaticano Templo, ad aram eidem exſtructam, ſervantur exuviæ. Damaſi Primi, Romani Pontificis, cujus in Urbe, non longe a vetuſto Floræ Circo, eſt Titulus. Denique, Flaviæ Domitillæ Virginis, Nereique & Achillei Eunuchorum ejus; quorum reliquias intra Urbem, ex Divi Adriani in Foro Boario, ſolemni pompa, ad pervetuſtum eorumdem Titulum, juxta Antonini Caracallæ Thermas, via quæ ad Portam

q Pſal. 126. v. 4.

r Aringh. Rom. Subt. par. 1.

Ca-

Monumentum Antiquum adhuc extans Ardeæ in Ædibus Principum quondam Sabellorum.



Capenam ducit, honestissime restitutum & exornatum, Cæsar Baronius Cardinalis, cui templi illius, de more, procuratio fuerat demandata, transferendas curavit. Celeberrimum quoque omnium, quod *Callixti cœmeterium* vocant, ſ quamquam revera potiori sui atque celebriori parte in via Appia constitutum fuerit; scriptores aliqui, nihilominus, in Ardeatina collocaverunt. quod ex utriusque viæ propinquitate factum est; eo quod Ardeatinæ viæ revera partem aliquam attingeret. Sanctorum Vincentii & Anastasii ad Aquas Salvias quidam in via Ardeatina collocaverunt. Feliculæ quoque Virginis, pro Christo obtruncatæ, corpus a Nicomede Sacerdote via Ardeatina, septimo ab Urbe lapide conditum, memoratur. Hac eadem via, non longe a loco qui dictus est Græce κατὰ τύμβους *juxta sepulcra*, corruptissime nunc *Le Catacombe*, sub Juliano Christianæ Religionis perduelle vivi per medium ventrem secti sunt pro Christo athletæ fortissimi Sempronius & Aurelianus, militum duces; ubi multi quoque ex suis, quos ad Christum traduxerant, militibus, fortiter eadem de caussa datis cervicibus, necati sunt. Ceterum, & alios Sanctorum Ardeatina via vel passos, vel conditos fuisse olim, Fasti Sacri commemorant; quorum tamen indicem texere, nimis a proposito nos abduceret. Quare, ubi de Sacris Ardeatium monumentis agemus, hæc omnia fusius exponemus. Unum tantum, antequam ab hac Via recedo, addendum; quod Christiani quoque, veterum non Christianorum morem minime superstitiosum secuti, suorum cadavera in suburbanis prædiis suis, vel certe nobilioris potentioriſque inter ipsos, tumulare consueverunt. Quod, inter innumera alia, Flaviæ Domitillæ, Virginis inclytæ, & ex nobilissima Romana Flavia gente, accidisse, via Ardeatina legimus. Si-

ſ *Bos. Rom. Subterr. l. 3. c. 11.*

quidem Virgo hæc generoſiſſima Flavii Clementis Conſulis fratris filia, in prædio ſuo, quod via Ardeatina erat, una cum ſociis Nereo atque Achilleo, condita fuit. Sancti Nicandri Foſſas, in via Ardeatina olim ſitas, Innocentius Tertius Rom. Pontif. quadam epiſtola commemoravit; & Anaſtaſius Ædem Divo Ediſtio ſacram, via Ardeatina, ſexto decimo ab Urbe lapide, recenſuit: de quibus tamen veſtigium per hæc tempora nullum apparet. Ceterum Via Ardeatina ad Ardeam uſque lapidibus ſtrata, Laurentum quoque ſive Lavinium & Lauro Lavinium flexu quodam quaſi brachio protendebatur, eademque munita ſilice, littorali itinere, Antium uſque alio vero diverticulo, circa Lanuvium in Appiam tandem deſinebat. Unde quæſtioni, licet leviſſimæ, locus factus; utrum ſcilicet

t *Boſ. de Cœmet. l. 3. cap. 10. & ſeqq.*

Brunduſium Numici melius via ducat, an Appi?

Et nobis de hac Via verba facere jam deſinentibus eſto

Brunduſium longæ finis chartæque viæque.

CAPUT VII.

De Caſtro Inui quondam in finibus Ardeatium.

ARDEATIUM inter atque Antiatum agros, oppidum antiquiſſimis temporibus *Caſtrum Inui* appellatum collocavit Cluverius *a*; quamquam locus quo potiſſimum ſitum fuerit, deſignari minime poſſit. Quare & nos huic de Ardeatibus libro idem oppidum merito atteximus, deque eo pauca, quæ ſparſim apud antiquos auctores invenimus, commemorabimus. Inter oppida celebriora ab Albanis condenda Virgilius Caſtrum Inui recenſuit: *b*

a *Lib. 3. Ital. Antiq. pag. mihi 978.*

b *Æneid. l. 6. v. 772.*

At qui umbrata gerunt civili tempora quercu,

Hi

Hi tibi Nomentum, & Gabios, urbemque Fidenam,
Hi Collatinas imponent montibus arces,
Laude pudicitiæ celebres; addentque ſuperbos
Pometios, Caſtrumque Inui, Bolamque, Coramque.
Hæc tunc nomina erunt: nunc ſunt ſine nomine terræ.

Ardeæ vero proximum fuiſſe hoc Caſtrum, innuit Silius, milites Ardeates in delectu contra Annibalem a Romanis habito Caſtranis adjungens: *c*

c *Sil. l.* 8.

Quos Caſtrum, Phrygibuſque gravis quondam Ardea miſit.

Martialis pariter ſic, Ardeam inter & Antium: *d*

d *Lib.* 4. *ep.* 60.

Ardea ſolſtitio Caſtranaque rura petantur,
Quique Cleonæo ſidere fervet ager.

Et Ovidius de Æneæ in Italiam adventu locutus *e*:

e *Metamorph. l.* 15.

- - - - Donec Caſtrumque, ſacraſque
Lavinî ſedes, Tiberinaque ad Oſtia venit.

Unde emendandus Servius Grammaticus, qui ad ſuperiorem Virgilii locum, *Caſtrum Inui* idem fuiſſe quod *Caſtrum Novum*, aſſeruit; eo ductus, quod & apud Caſtrum Novum Pan, ſive Faunus, qui *Inuus* dictus eſt, colebatur. Verum in Tuſco littore, fuiſſe Caſtrum Novum, ubi pariter Pan Inuus cultus eſt, ſatis apud eruditos convenit. ſtatuuntque illud communiter haud ita procul a Centumcellis, in ſinu, ubi olim multarum navium capax portus; hodie *Santa Marinella* appellato. Cum e contrario Caſtrum Inui, de quo Virgilius, oppidum fuerit Antiqui Latii ab Albanis conditum, Ardeatium inter & Antiatum fines. Porro *Inui* dictum eſt, quod ibidem præcipuum ædificium, & inter cetera antiquiſſimum fuit templum Fauno, ſive Pani dicatum, qui a Latinis *Inuus*, eo quod promiſcue animalium omne genus *iniret*, fuit appellatus. Huic Latini Priſci, ſive Aborigines, tamquam gentis ſuæ, ſecundum Saturnum, auctori, templum dedicavere: cujus cuſtodiendi & ſacris co-

len-

lendi cauſſa, alia circum conſtruxere ædificia, quæ paullatim in oppidi amplitudinem excreverunt, cui a templo, *Inui Caſtrum*, nomen tributum. Jam vero de Inuo hæc breviter *f* fabulæ: *Faunus*, *Fatuus*, *Fatuellus*, *Pan*, *Ægipan*, *Silvanus*, *Inuus*, filius Pici, Saturni nepos fuiſſe traditur. Rex idem Aboriginum a φαύω vel φάω, quod eſt *fari*, præcipue *Faunus* vocatus. Ex uxore *Fauna*, vel *Fatua*, quam etiam ſororem ejus alii, alii filiam fuiſſe prodiderunt, genuiſſe fertur Faunos, Panas, Satyros, & Silvanos. ex Nympha vero Symetride Acim, Eurymedontem, & Sentam Faunam; Latinum denique regem ex Marica Laurente, quod *g* ait Virgilius. Licet *h* alii Latinum ex filia Fauni & Hercule, qui eodem tempore, victo Geryone, armenta victoriæ præmia, per Italiam ducebat, procreatum fuiſſe, tradiderint. *A fando* nomen potiſſimum idcirco accepit, quemadmodum uxor *Fatua* ſeu *Fauna*; quia futura vaticinio *faretur*, ſive *effaretur*; ita viris ipſe, ſicuti uxor feminis. Fauni autem, Panes, Satyri, Silvani, filii Fauni ſenioris, ſive Inui, de quo nunc, habiti ſunt, a profanis ſimulacrorum cultoribus, dii, ſive ſemidei, ruſticani, ſilvarum, agrorum, montium: credebanturque, poſt longiſſimum quidem vitæ tempus, & ipſi tamen interire, quod e terreſtri limo geniti eſſent. Jam vero Fauni & Panes agrorum numina; ſilvarum campeſtrium Satyri; ſilvarum quæ ſunt in montibus, Silvani ſunt habiti. Hæc autem diviſio inde originem duxit, quod a Fauno patre, aliis alia loca ad incolendum, primis filiis Fauno, Pani, Satyro, atque Silvano, aſſignata fuerint. Veriſimilius tamen eſt, hos omnes Arcadum deos fuiſſe: Fauni autem Aboriginum regis filios idcirco dictos; quod cum Picus ejus pater Evandrum excepiſſet, in cauſſa fuit, ut hi dii in Italia con-

f *Boccac. l. 8. Genealog.*

g *Virg. Æn. 7. v. 47.*

h *Juſtin. l. 43. Dionyſ. l. 1.*

conſecrarentur. Porro Faunus ſenior Pici filius a Latinis, ut ajebam, tamquam ex primis gentis conditoribus & auctoribus velut deus templo, aris, & ſacrificiis eſt cultus; ipſique Latini populi *Faunigenæ* quoque ſunt appellati, juxta illud Silii: *i*

i *Sil. l. 8. v. 357.*

Faunigenæ ſocio bella invaſere Sicano.

Inuus autem idem atque *Incubus* promiſcuam Fauni ſalacitatem ſignificat: de quo Horatius, ut aſſolet, elegantiſſime: *k*

k *Lib. 3. Od. 18.*

Faune Nympharum fugientum amator,
Per meos fines & aprica rura
Lenis incedas, abeaſque parvis
Æquus alumnis.

Incubus etiam *Inuus* hic dictus, aliam ob cauſſam, quod ab antiquis Faunos incubare dormientibus hominibus, eoſque pondere opprimere fabulabantur. cum revera, fabularum detecto cortice, *incubus*, ſive *incubo* morbus ſit naturalis, quem ex nimia fortaſſe craſſioris ſanguinis copia, ſupine aliqui cubantes patiuntur; & libere ſpiritum ducere, externo veluti quodam pondere gravati, impediuntur. Ceterum anilis hæc de Faunis incubis fabella vulgares mentes adeo ſemper pervaſit, ut noſtra etiam ætate aliquid ſimile aniculæ pueris denarrent; homuncionem ſcilicet inſilire in dormientium pectora, eaque, ne ſpiritum ducant, opprimere. ac proinde a ſupino ſomno *l* tamquam a lethali cavendum quam maxime. Ephialtem Græci genus hoc morbi nominant; ἀπὸ τῦ ἐφάλλεσθαι, quod eſt *inſiliri*.

l *Macrob. l. 1. in Somn. Scip. c. 3.*

Ceterum, Inui templum & Caſtrum fuiſſe juxta littus, fines inter Ardeates, Antiates, & Laurentinos, conſtat ex illis Virgilii verſibus: *m*

m *Æn. l. 12. v. 766.*

Forte ſacer Fauno foliis oleaſter amaris
Hic ſteterat, nautis olim venerabile lignum,

Ser-

Servati ex undis ubi figere dona solebant
Laurenti divo & votas suspendere vestes.

Ex quibus habes, oleastrum sacrum Fauno Inuo pro templi ejusdem Inui foribus plantatum in littore Laurentino, scilicet Laurentum agrum inter & Ardeatium, positi. Unde manifestus illorum error deprehenditur *n* qui templum oraculumque Fauni a Virgilio in Tiburtino collocata credidere. Eo quod Æneidos septimo de rege Latino dixerit:

n *Ap. Corrad. Vet. Lat. l. 1. c. 4.*

At rex sollicitus monstris, oracula Fauni
Fatidici genitoris adit; lucosque sub alta
Consulit Albunea, nemorum quæ maxima sacro
Fonte sonat, sævamque exhalat opaca mephitim.
Hinc Italæ gentes omnisque Oenotria tellus
In dubiis responsa petunt.

Nam poeta duplex hic oraculum meminit; Fauni alterum, cujus locum utpote Latini regiæ proximum, non designat; alterum Albuneæ, seu Tiburtinæ Sibyllæ; cujus situm & celebritatem describit. Ceterum Inui templum, & deinde Castrum, juxta quod oleaster pariter Fauno sacer fuit, nonnisi vicinum littori debuit esse; quo nautæ servati ex undis figere solebant dona, votasque vestes suspendere: quemadmodum ubique terrarum templa, aliaque sacra loca ad quæ nautæ conveniunt, juxta littora opportune exædificata videmus. Insalubri itaque loco & stagnantibus ac palustribus aquis obsito hoc Castrum situm fuisse, comperimus. Unde Martiali lumen, dum cecinit: *o*

o *l. 4. ep. 60.*

Ardea solstitio Castranaque rura petantur,
Quique Cleonæo sidere fervet ager;
Cum Tiburtinas damnet Curiatius auras,
Inter laudatas ad Styga missus aquas.
Nullo fata loco possis excludere. cum mors
Venerit, in medio Tibure Sardinia est.

Hujus

Hujus quidem epigrammatis veram genuinamque ſententiam fuſe capite hujus libri primo explicavimus. nunc lectionem noſtram, qua *Caſtranaque rura* cum Cluverio, non autem *Pæſtana* legendum cenſemus; paucis tuebimur. Loquitur hic Martialis de villis ac ruſticationibus ſuburbanis, quas pro diverſis anni temporibus frequentabant ea ætate Romani; comparatque ſaluberrimas auras & aquas Tiburtinas cum peſtiferis Ardeatium & Caſtranorum. quæ oppida inter paludes humili loco ſita, inſalubribus maxime cælo & aquis, utpote paluſtribus ac ſegnibus, utebantur. Quo mihi nunc *Pæſtum* urbem Lucaniæ ab urbe Roma quam maxime remotam, ac de qua, neque quod vitio aeris aquarumque laboraverit umquam, neque quod ruſticatum ad eam Romani divertere conſueverint, veſtigium ullum vel minimum apud ſcriptores deprendimus? quo mihi, inquam, *Pæſtum* urbem hoc loco a Martiali commemoratam, ſunt qui obtrudant; & *Pæſtana* rura legendum velint? Cum e contrario, potius aeris ſalubritatem ruri Pæſtano adjudicent roſæ ſuæ celebratiſſimæ, quas bis in anno producere ſolebat, odore ſuaviſſimo. quamquam autem apud Caſtrum Inui æſtivo autumnalique tempore ruſticari, mos minime Romanis foret, ob cæli gravitatem; hieme nihilominus atque vere Caſtranæ illos ruſticationi indulſiſſe, quemadmodum & Laurenti, Antiati, atque Ardeatinæ, non dubito. Quare, & circa hoc Caſtrum & intra ejuſdem agri fines, licet breves admodum, prætoria & villas Romanorum, quibus, per brumam potiſſimum, apricarentur, non immerito fuiſſe olim, conjicimus. Porro de Caſtranis populis apud Hiſtoricos nulla mentio. Silius, illos ſecundo Punico bello milites Romanis adverſus Annibalem ſuffeciſſe, ſolus memoriæ prodidit, ſic recenſens: *p* p *Sil. l.* 8.

Quos Caſtrum, Phrygibuſque gravis quondam Ardea miſit.

Ceterum, Inui templum & Caſtrum non a nautis ſolum, qui de tempeſtatibus ac naufragio evaſiſſent, cultum & frequentatum, votiſque ac votivis donis ornatum fuiſſe, accepimus; verum & ab Italis omnibus huc, certum tamquam ad oraculum, conventus frequentiſſimos fieri, conſueſſe, Virgilius tradidit. Namque ad Fauni Inui templum & ad Albuneæ lucos oracula petitum omnes ex Italia conveniſſe ſic memorat: *q*

q *Æn. l. 7.*

Hinc Italæ gentes omniſque Oenotria tellus
In dubiis reſponſa petunt.

Ritum autem quo hæc a Fauno reddebantur oracula, habes fuſe lateque deſcriptum in libro hujus Operis primo *r*, qui de Latio in genere inſcribitur. Nunc innuam tantum brevibus, quod reſponſa ex Fauni oraculo petituri multas ei victimas cæſarum ovium immolabant, in quarum tergoribus, ſive pellibus, ſtrati dormiebant noctu in hoc Fauni templo. tunc vero temporis ſimulacra modis variantia miris viſui ſe ſe offerebant, ex quibus futura de rebus quas petebant, ediſcere ſe ſe, putabant. Hoc ritu rex Latinus de Lavinia filia deliberans, utrum Turno conſanguineo, utrum Æneæ hoſpiti nuptui illam traderet, reſponſa patris Fauni petiiſſe in hoc templo traditur, & ex adytis vocem accepiſſe: *ſ*

r *Corrad. Vet. Lat. l. 1. c. 4. & 24.*

f *Æn. lib. 7.*

Ne pete conjugiis natam ſociare Latinis:
Externi veniunt generi.

Porro ſacerdotes Fauni, qui ſæpenumero ex adyto reddebant oracula, *Faunii*, vel *Fauni* pariter vocati ſunt. illoſque memorant *Saturniis verſibus* reſponſa reddidiſſe. Erant autem *Saturnii verſus*, carmina quædam ab antiquiſſimis Latii populis in ſacris præſertim adhibita, rudia admodum & inconcinna, ſed quæ ab

Sa-

Saturno primum condita credebantur; atque ob idem ſumma veneratione obſervata. De his Horatius: *t*

t *Epiſt. l. 2. ep. 1.*

- - - - - - - - - - - - - - - Sic horridus ille
Defluxit numerus Saturnius, & grave virus
Mundiciæ pepulere. ſed in longum tamen ævum
Manſerunt, hodieque manent veſtigia ruris.

De Saturniis quoque verſibus, quos Fauni ſacerdotes in oraculis pronuntiandis adhiberent, Ennius: *u*

u *Lib. 1.*

- - - - - - - - - - ſcripſere alii rem
Verſibus olim, quos Fauni vateſque canebant.

Et Feſtus, *Verſus quoque*, inquit, *quibus Faunus fata ceciniſſe hominibus videtur, Saturnii appellati.* Sub *Silvani* autem & *Panis* nomine, nec non *Tuſculani Jovis* cultus eſt Faunus, tum Romæ, tum etiam antiquius per reliquas Latii urbes. Idibus vero Februariis proprio Fauni nomine Romæ illi ſolemniter ſacrificatum, in templo eidem, Tiberinam apud Inſulam, conſtituto. de quo Ovidius: *x*

x *Faſt. l. 2.*

Idibus agreſtis fumant altaria Fauni,
Hic ubi diſcretas inſula rumpit aquas.

Et Nonis Decembribus *Faunalia* pariter Romæ celebrabantur, feriæ ſcilicet in honorem Fauni Latinorum regis; quarum ritus feſtos hic potes ex Horatio perſpicere: *y*

y *Lib. 3. Od. 18.*

Faune Nympharum fugientum amator,
Per meos fines & aprica rura
Lenis incedas, abeaſque parvis
Æquus alumnis.
Si tener pleno cadit hædus anno,
Larga nec deſunt Veneris ſodali
Vina crateræ; vetus ara multo
Fumat odore;
Ludit herboſo pecus omne campo,
Quum tibi Nonæ redeunt Decembres;

Feſtus in pratis vacat otioſo
Cum bove pagus.
Inter audaces lupus errat agnos;
Spargit agreſtes tibi ſilva frondes;
Gaudet inviſam pepuliſſe foſſor
Ter pede terram.

Denique operæ pretium erit, qua figura habituve corporis Faunum hunc veteres repræſentarent, cognoſcere. quam ex Macrobio z ſapienter explicatam hic addo. *Pan*, inquit, *ipſe, quem vocant Inuum; hunc deum Arcades colunt, appellantes non ſilvarum dominum, ſed univerſæ ſubſtantiæ materialis dominatorem. Ergo Inui cornua barbæque prolixa dimiſſio ſignificant naturam lucis ſolaris. Unde Solem Arcades crediderunt, quod fiſtula vel virga ſignificat, quod in capræ pedes deſinit.* Itaque Faunus caprinis cornibus ac promiſſa barba repræſentabatur nudus, cum virga ſeu fiſtula in caprinum pedem deſinente, caprinis ipſe pariter ingrediens pedibus; ut inter ceteros Ovidius a monuit:

z *Saturn. l. 1. c. 22.*

a *Lib. 2, Faſt.*

Capripedi Fauno cæſa de more capella,
Venit ad exiguas turba vocata dapes.

Loco *Inui* Liviana quædam exemplaria *Inivi* habent, utramque enim veteres vocem adhibuere; quemadmodum & *vacuum* & *vacivum* dixere, ut apud Comicos, Terentium præſertim, ſatis perſpicitur. Ceterum Caſtrum Inui dirutum omnino ab antiquiſſimis uſque temporibus ſine veſtigiis, quo potiſſimum inter Ardeates, Laurentes, Antiateſque campos, fuerit ſitu collocatum, nullus adhuc hominum, quod quidem ego noverim, deſignavit.

CA-

CAPUT VIII.

De Sagunto Ardeatium Colonia.

ILLUD Ardeatibus longe glorioſiſſimum, quod ſuorum Coloniam non modo ultra Latii Veteris, verum etiam ultra Italiæ ipſius terminos, in remotos ſcilicet uſque Iberos, dimiſerint. quæ funeſtum licet ab Annibalis armis exitum ſortita fuerit; æterna nihilominus ſocialis fidei ac militaris fortitudinis documenta poſteris omnibus ſectanda reliquit. Saguntum dico civitatem, Livii *a* teſtimonio, longe opulentiſſimam, in Tarraconenſi Hiſpania, ultra Iberum amnem ſitam, nunc urbes inter Valentiam atque Segorbiam: ſi oppidum *Morvedre* in exciſi Sagunti ruinis eſt excitatum; quod multi *b* aſſerunt. Huc ſuorum Coloniam antiquiſſimis ab uſque temporibus Ardeates miſiſſe, Livius & Silius auctores ſunt. Livius enim *Saguntum*, inquit, *ſumma vi oppugnabatur. Civitas ea longe opulentiſſima ultra Iberum fuit ſita, paſſus mille ferme a mari. Oriundi a Zacyntho Inſula dicuntur; miſtique etiam ab Ardea Rutulorum quidam generis.* Silius vero diſertioribus adhuc verbis; namque de Sagunti origine a Zacynthinis locutus, continuo addidit: *c*

a *Lib.* 1. *Dec.* 3.

b *Moral. ap. Baudrand.*

c *Lib.* 1. *v.* 291.

Firmavit tenues ortus mox Daunia pubes
Sedis inops, miſit largo quam dives alumno
Magnanimis regnata viris, nunc Ardea nomen.

Ex quibus pariter liquet, ab Ardeatibus Colonis frequentiam, celebritatem, & opes tenuibus Saguntinæ urbis exordiis additas. Cauſſa quoque deducendæ Coloniæ iiſdem verſibus innuitur, copia civium Ardeæ fuiſſe. Porro artes quibus Saguntini, Ardeatium ge-

genus, in tantas brevi creverant opes, maritimi ac terreſtres fructus, multitudinis incrementa, & ſanctitas diſciplinæ, qua fidem ſocialem cum Romanis ad perniciem uſque ſuam coluerunt, exſtitiſſe memorantur. Ceterum Silius Saguntinos paſſim vocat *Rutulos*, oſtendens potiori parte ex Ardeatibus Colonis ortos fuiſſe. Nam de Legatis quos, cum eorum urbs ab Annibale oppugnaretur, Romam Saguntini miſerant ad auxilia petenda, dixit: *d*

d *Lib.* 1. *v.* 581.

Interea Rutulis longinqua per æquora vectis
Herculei ponto cœpere exſiſtere colles,
Et nebuloſa jugis ſe attollere ſaxa Monœci.

Moxque, ut eorum de oppugnata patria ſollicitudinem memoravit, adventantes Romam ita deſcribit: *e*

e *Ibid. v.* 601.

Talibus illacrymant noctemque diemque querelis,
Donec Laurentes puppis defertur ad oras:
Qua pater acceptis Anicnis ditior undis
In pontum flavo deſcendit gurgite Tybris;
Hinc conſanguineæ ſubeunt jam mœnia Romæ.

Ex perſona vero unius ex iiſdem Legatis Sycoridis nomine, auxilium ab Romanis Patribus in Curia petentis, contra Annibalem Saguntum oppugnantem, hæc retulit: *f*

f *Ibid. v.* 656.

Vos, per culta diu Rutulæ primordia gentis,
Laurentemque larem, & genitricis pignora Trojæ,
Conſervate pios, qui permutare coacti
Acriſioneis Tirynthia culmina muris.

Et paullo poſt ex ejuſdem perſona: *g*

g *Ibid. v.* 662.

- - - - - - - - vetus incola Dauni,
Teſtor vos fontes & ſtagna arcana Numici,
Cum felix nimium dimitteret Ardea pubem,
Sacra, domumque ferens, & avi penetralia Turni,
Ultra Pyrenem Laurentia numina vexit.
Cur, ut deciſa atque avulſa e corpore membra,

De-

Deſpiciar? veſterque luat cur fœdera ſanguis?

En ut rurſum deducendæ Coloniæ cauſſam indicavit, nimiam civium Ardeæ multitudinem fuiſſe; ait enim:

Cum felix nimium dimitteret Ardea pubem.

Felix enim, ſi vocis vim propriam attenderis, *fecundum* ac *fertilem* ſignificat, ut *infelix* ſonat *infecundum* ac *ſterilem*. juxta illud: *h*

h *Virg. Ecl.* 5. *v.* 37.

Infelix lolium & ſteriles dominantur avenæ.

Jam vero Silius in defendenda fortiter, ab oppugnatione Pœnorum, Sagunto, Murrum quemdam inter primores rebus geſtis inſignem memorans, ex Ardeatibus ortum dicit: *i*

i *Lib.* 1. *v.* 376.

Emicat ante omnes primævo flore juventæ
Inſignis Rutulo Murrus de ſanguine.

Ceterum, Bello Punico ſecundo, ab hujus urbis oppugnatione, contra fœdus ab Annibale cœpta, cum ſocialis hæc eſſet urbs Romanorum, initium fuit. Hinc Silius: *k*

k *Lib.* 1. *v.* 272.

Prima Saguntinas turbarunt claſſica portas.

In ea oppugnatione Saguntini incredibilis documenta virtutis edidere; quæ non modo primo & ſecundo de Bello Punico libris Silius poetice perſecutus eſt; verum hiſtorica fide prius narraverat Livius. Octavum urbs ad uſque menſem, cum ceteroquin multitudine pæne innumerabili acerrimorum hoſtium undique obrueretur quotidie, obſidionem & frequentiſſimas oppugnationes ſuſtinuit; ne datam Romanis fidem vel ipſi ſuo excidio poſtponeret: quod ab Ardeatibus, qui ea ætate iidem jam cum Romanis erant, præcipuam ſe originem ducere Saguntini quam maxime gloriarentur. Inter alia, quibus irruentes Pœnos diu repulerunt, & fugæ ſe ſe tradere atque in caſtra recipere, ſæpius compulerunt, teli genus, *Falarica* dictum, fuit. quod ex *l* Livio tale erat. *Fa-*

l *Liv. lib.* 1. *Dec.* 3.

lari-

larica erat Saguntinis miſſile telum haſtili oblongo, & cetera tereti, præterquam ad extremum, unde ferrum exſtabat. id ſicut in pilo quadratum, ſtuppa circumligabant, linebantque pice. ferrum autem tres in longum habebat pedes, ut cum armis transfigere corpus poſſet. Sed id maxime, etiam ſi hæſiſſet in ſcuto, nec penetraſſet in corpus, pavorem faciebat; quod cum medium accenſum mitteretur, conceptumque ipſo motu multo majorem ignem ferret; arma omitti cogebat, nudumque militem ad inſequentes ictus præbebat.

Cum tamen Romani a Saguntinis per Legatos de oppugnatione Sagunti certiores facti, deque mature oppugnatis ſociis fideliſſimis auxilio mittendo, infimis licet precibus interpellati, jure primum agendum, antequam arma ſumerent, cenſuiſſent; dumque Saguntum Legatos ad Annibalem, mox ab illo repulſos Carthaginem mittunt; Saguntini extrema quæque oppugnatarum urbium mala perpeſſi, ad extremum arctiſſima quoque urgentiſſimaque omnium fame, ita ut in proverbium exinde *Saguntina fames* conceſſerit, oppreſſi, fidem tamen non mutaverunt. Itaque exſcindi penitus patriam & internecione deleri, maluerunt, quam Annibali ſe ſe dedere. Cumque urbem in hoſtis poteſtatem venturam jam prope cernerent; eſſetque illa communis fere omnium vox, invicem exclamantium: *m*

m *Sil. lib. 2. v. 573.*

Occidimus Rutuli, tenet omnia Punicus enſis.

pretioſiſſima quæcumque in publicum comportata, ne in hoſtiles manus opima adeo præda caderet, igne corruperunt. quod ita Silius: *n*

n *Lib. 2. v. 605.*

Certatim ſtructus ſurrectæ molis ad aſtra
In media ſtetit urbe rogus. portantque trahuntque
Longas pacis opes, quæſitaque præmia dextris.
Callaico veſtes diſtinctas matribus auro,
Armaque Dulichia proavis portata Zacyntho,

Et

Et priſca advectos Rutulorum ex urbe Penates.
Huc quidquid ſupereſt captis clypeoſque, ſimulque
Infauſtos jaciunt enſes, & condita bello
Effodiunt penitus terræ, gaudentque ſuperbi
Victoris prædam flammis donare ſupremis.

Neque tamen id ſatis fortibus fidelibuſque, ultra quam exigi aut optari debuerat, Romani nominis ſociis, Ardeatiumque Colonis, Saguntinis fuit. Verum ſua victori hoſti furripuiſſe incendio, non contenti, ſe ipſos quoque iræ ejuſdem præripere, viciſſim alter alterius civis & conſanguinei manu gladiiſque pereuntes, deſperato conſilio decreverunt. Itaque furiis acti: *o*

o *Sil. l. 2. v. 623.*

Invitas maculant cognato ſanguine dextras.

Quam ſtragem & pluribus Silius, & perpaucis Livius ita deſcripſit *p*: *Ad hæc audienda* (decreta ſcilicet ſpontaneæ ſtragis & necis) *cum circumfuſa paullatim multitudine, permiſtum Senatui eſſet populi concilium; repente primores ſeceſſione facta, priuſquam reſponſum daretur, argentum aurumque omne ex publico privatoque in forum collatum in ignem ad id raptim factum conjicientes; eodem plerique ſemetipſos præcipitaverunt.* Denique infelicis urbis ac nimium fidelis interitum narrans: *Annibal*, inquit, *totis viribus aggreſſus urbem momento cepit; ſigno dato, ut omnes puberes interficerentur. quod imperium crudele, ceterum prope neceſſarium cognitum in ipſo eventu eſt. Cui enim parci potuit ex iis qui ante incluſi cum conjugibus ac liberis domos ſuper ſe ipſos concremaverunt? aut armati nullum ante finem pugnæ, quam morientes fecerunt? Captum oppidum eſt cum ingenti præda. quamquam pleraque ab dominis de induſtria corrupta erant. & in cædibus vix ullum diſcrimen ætatis ira fecerat; & captivi militum præda fuerant. tamen ex pretio rerum venditarum aliquantum pecuniæ redactum eſſe conſtat, & multam pretioſam ſupellectilem veſtemque miſ-*

p *Lib. 1. Dec. 3.*

ſam Carthaginem. Octavo menſe, quam cœptum oppugnari, captum Saguntum, quidam ſcripſere. Ceterum excelſo loco
q L.2.v.456. fuiſſe olim hanc urbem conſtitutam prodidit Silius: *q*

Eminet excelſo conſurgens colle Saguntos.

Apud hunc auctorem autem & *Saguntum*, & *Saguntus*, & *Saguntos* legitur. Ceterum tam fortia Saguntinorum facta, quibus ab fortiſſimis Ardeatibus procreatos ſeſe, teſtati ſunt, & lethum nobile, juvat, tot etiam lapſa poſt ſæcula, Silii encomio ſic æternitati com-
r Sil. l. 2. v. 702. uſq. ad fin. libri. mendare: *r*

At vos ſidereæ, quas nulla æquaverit ætas,
Ite, decus terrarum, animæ, venerabile vulgus,
Elyſium, & caſtas ſedes decorate piorum.
Queis vero non æqua dedit victoria nomen
Audite, o gentes, neu rumpite fœdera pacis,
Neu regnis poſtferte fidem. vagus exſul in orbe
Errabit toto patriis projectus ab oris;
Tergaque vertentem trepidans Carthago videbit.
Sæpe Saguntinis ſomnos exterritus umbris
Optabit cecidiſſe manu, ferroque negato
Invictus quondam Stygias bellator ad undas
Deformata feret liventi membra veneno.

FINIS LIBRI NONI.

INDEX
RERUM MEMORABILIUM
QUÆ IN HIS LIBRIS CONTINENTUR.

A

ÆLIANI error de Templo Junonis Sospitæ Lanuvii. *pag.* 37
Ager Coriolanus injuste Ardeatibus ademtus. 183
Ager Coriolanus Ardeatibus Colonis prudenter a Romanis restitutus. 189. *& seq.*
Amphitheatrum Lanuvii. 87
Antoninorum Impp. villa in Agro Lanuvino. 93
Antoninus Pius Imp. Lanuvinæ Coloniæ restitutor. 22
Apollinis Ducis Musarum Dedicatio in Ardeatino. 207
Apollinis Præstantis ara Ardeæ. 204
Apollinis Templum & Synhodus Lanuvii. 31
Aquæ Ardeatinæ. 219. earum natura & virtus. 220
Ardea avis. 159. ejus fabula. 160
Ardea bello petitur a Tarquinio Superbo. 180. ejus obsidio longa, demum soluta. 182
Ardea Circes filius. 158
Ardea Colonia deducta. 188. iterum ab Hadriano censita. 197. auxilia Romanis negat. 195. ab iisdem mulctatur. 196
Ardeæ Conditores qui. 151. *& seq.*
Ardeæ nomen unde deductum. 159
Ardeæ rupes ardua. 163. in ea Veteris Ardeæ reliquiæ adhuc exstantes. *ibid.*
Ardeæ Templum Junonis Reginæ. 199. ejus picturæ. 201
Ardeæ Urbis situs. 163
Ardea Rutulorum Urbs Princeps. 151. *& seq.*
Ardeates a Romanis deficiunt. 184. Camilli sententiam sequuntur. 191. Gallorum exercitum trucidant. 192. Capitolium ab obsidione liberant. 193. Civilibus factionibus perturbantur, & desæviunt. 186
Ardeates cum Aricinis diu de agri parte contendunt. 182. super ea re Populum Romanum judicem capiunt. 183
Ardeates Sacrani qui. 208. eorum monimenta & sacerdotia. 209
Ardeatinum T. Pomponii Attici. 215
Ardeatinus ager insalubris. 161. *&* 214
Ardeatium ager divisus in lacineis. 198
Ardeatium Reges. 166. *& seq.*
Arisbianus Fundus, Via Ardeatina. 207. 230
Atys Cybeles minister. 211. ejus fabulæ. 212
Aurelii Aphrodisii monumentum, Lanuvii. 24

B

Balbi villa Lanuvina. 91
Blesii Agrimensoris monumentum, Via Ardeatina. 232
Bruti, Cæsaris interfectoris, villa Lanuvii. 92

C

C. Antonii Ægrillii sepulcrum in Ardeatino. 215
C. Cæsonii, Reipublicæ Lanivinorum Curatoris, monimentum. 25
C. Mevius Consul Lanuvinus. 25
C. Sulpicii monimentum apud Lanuvium. 89
C. Vibii monimentum. 80
Castrana rura. 240

Caſtrum Inui milites Romanis præſtitit Bello Punico. 237
Caſtrum Inui oppidum quondam in finibus Ardeatium. 237. fuit in Latio, non in Etruria littorali, ut perperam quidam. *ibid.*
Cereris ara in Lanuvino. 33
Colea gens Lanuvina. 119
Commodus Imperator, Lanuvinus. 141. Lanuvii in amphitheatro feras conficiebat. *ibid.* ejus vita breviter deſcripta. *ibid.*
Cornuficia gens Lanuvina. 98. ejus illuſtres viri; & nummi aliquot explicati. 99. *& ſeq.* ejuſdem monumenta. 103. *& ſeq.*
Cybeles cultus qualis. 210. fuit frequens apud Ardeates. 211
Cybeles deæ nomina, & fabulæ. 210. *& ſeq.*

D

Danae, Acriſii filia, Perſei mater, Ardeam condidiſſe credita. 156. ejus fabulæ. *ibid.*
Diomedes Lanuvii Conditor creditus. 3. ab eodem Urbes in Italia conditæ. 5
Draconis antrum Lanuvii. 53. ejus ſuperſtitio. *ibid. & ſeq.*

F

Falarica, Saguntinorum telum peculiare, deſcribitur. 248
Ficana, vetus oppidum in agro Lanuvino. 146
Floræ ara in Lanuvino. 34

H

Herculis Comitis Muſarum Dedicatio, Via Ardeatina. 230
Herculis Servatoris Dedicatio Ardeæ. 205

I

Jovis templum Lanuvii. 29. Jovis Jugi Dedicatio. *ibid.*
Junoni Luci ſacri. 64. Dedicationes factæ. 66. *& ſeq.*
Junonis Reginæ Supremæ Dedicatio Ardeæ. 198. *& ſeq.*
Junonis Soſpitæ Lanuvinæ nomina & officia. 39. *& ſeq.* cultus qui. 52
Junonis Soſpitæ ſtatua pretioſiſſima Lanuvii. 84
Junonis Soſpitæ templum celeberrimum apud Lanuvium. 35. ejus Conditores. *ibid.* ſitus. 47. origo nominis Soſpitæ. 36. Lanuvii fuit, non Lavinii. *ibid.* ejus deſcriptio. 48. fuit commune cum Pop. Rom. 51. prodigia ibidem. 61
Junonis Soſpitæ templum Romæ. 60
Junonius menſis apud Lanuvinos. 58
Juturnæ Lacus in Ardeatino. 217

L

Lanuvii Conditor quis. 3
Lanuvii Latini oppidi ſitus deſignatur. 1
Lanuvii plurima olim deorum templa fuere. 28
Lanuvii vocabulum unde. 12
Lanuvina Colonia deducta. 20. a Mario vaſtata. *ibid.* iterum deducta. 21
Lanuvini etiam Lanivini appellati. 7
Lanuvini Romanis diu fideliſſimi. 16
Romanorum hoſtibus ſe conjungunt. 17. annonam iiſdem Bello Punico ſufficiunt. 18
Lanuvinorum priſca Reſpublica. 13
Lanuvinum Municipium honeſtiſſimum. 21
Lanuvium, juxta Appiam Viam, ſed loco ſuperiore fuit. 7. hodie *Civita Lavinia* dicitur. *ibid.*
Latinorum regum, qui Lanuvinis imperarunt, ſeries. 14
Lavinium ſcriptores aliqui pro *Lanuvio* male uſurpantes emendati. 2
Leo V. Pontifex Maximus Ardeatinus. 216
Luceres qui, & unde dicti. 178

L. Ælius Grammaticus Lanuvinus. 142
L. Junii monumentum Lanuvii. 86
L. Murena Lanuvinus. 130. ejus gesta. 131
L. Venuleji Venusti Ardeatis Monumentum Via Ardeatina. 231

M

Mani Septici sepulcralis lapis Ardeæ. 216
Marcius Collis prope Lanuvium. 143. idem dictus *Ad Metium*. 144
M. Aurelii Domitiani sepulcrum, Via Ardeatina. 228
M. Aurelius Antoninus Philosophus Imperator, fuit Lanuvinus. 137. ejus gesta breviter descripta. *ibid.* & *seq.*
Marcus Ludius pictor illustris Ardeæ. 203. idem civitate donatus. *ibid.* ejus picturæ quæ. 200
M. T. Ciceronis villa in Lanuvino. 90
Martialis Epigramma de Ardeatina rusticatione explicatum. 161
Martis templum Lanuvii. 30
Maximini Imperatoris monimenta, Via Ardeatina. 227
Mercurius a Lanuvinis cultus. 32
Mettia Gens Lanuvina. 105. ejus viri illustres: nummi explicati. 106. & *seqq.* ejusdem monimenta. 109
Milo Lanuvinus Dux strenuus bello Punico. 19

N

Natio, seu Nascio, Ardeatium dea. 206
Numicius amnis in Ardeatino. 218. ejus fabulæ. 219
Nummi aliquot, in quibus Junonis Sospitæ caput, explicantur; num familias Lanuvinas designent. 119. & *seqq.*

O

Operum publicorum redemtores qui. 85

P

Pan cur Inuus dictus. 237. ejus fabulæ. 238
Panis cultus apud veteres. 242
Panis Inui habitus & figura explicantur. 244
Panis templum. 239. oraculum. 242
Papia Gens Lanuvina. 109. ejus nummi, & viri illustres. *ibid.* & *seqq.*
Paprimia quid. 68
Picumnus & Pilumnus Ardeatium reges & dii. 168
Politorii, Tellenarum, & Ficanæ cives Romam translati. 146. & *seq.*
Politorium oppidum in agro Lanuvino. 146. ejus repetita expugnatio. *ibid.*
Prædiorum Ardeatinorum Dedicationes diis factæ. 230
P. Scaptius senex Ardeatium agrum Populo Romano adjudicari petit. 183
P. Sextilii lapis fuse explicatus. 69. & *seqq.*

R

Respublica Ardeatina, potens & magna olim. 179
Retrices, locus Via Ardeatina. 229
Robigi ara in Lanuvino. 34
Roscia Gens Lanuvina. 114. Q. Roscius Comœdus ex ea. 126. ejus vita & artis excellentia. *ibid.* & *seq.* L. Roscius Fabatus Lanuvinus. 115. ejus nummus explicatur. *ibid.*
Rutuli aliquando iidem cum Latinis, aliquando distincti ab iis. 152. & *seqq.*
Rutulorum ager, angustus. 152

S

Sacra Chriſtianorum monumenta, Via Ardeatina, curſim recenſita. 232. *& ſeq.*
Sagunti obſeſſio, & expugnatio. 247. *& ſeq.*
Sagunti ſitus, cui loco nunc reſpondeat. 245
Saguntini ab Ardeatibus oriundi. 245. fideliſſimi Romanis. 248. fortiſſimi in tuenda patria. *ibid.* ab Annibale antequam expugnarentur, mutuis vulneribus, & incendio ſeſe interemere. *ibid.*
Saguntum oppidum, Ardeatium Colonia. 246
Serpentes in agro Lanuvino frequentes. 95. unde hoc. *ibid.*
Sex. Quintilii ſepulcrum in Ardeatino. 216
Solonium, agri Lanuvini pars. 95. frequens ſerpentibus innocuis. *ib.* ibi Pomonal quid. *ibid.*
Sulphurearum aquarum natura & utilitas. 220. *& ſeq.*
Sulpicii Quirini ſive Cyrini Lanuvini vita. 133. *& ſeq.*

T

Tellenæ, nobile Latinorum oppidum, circa agrum Lanuvinum. 147
Termini templum, Via Ardeatina. 229
Thoriæ Gentis Lanuvinæ nummi explicati. 116. *& ſeq.* ejuſdem alii viri illuſtres & monimenta. 118
T. Annii Milonis Lanuvini res geſtæ. 131. *& ſeq.*
Tonſores quando primum in Italiam venerint. 214
Turni Lacus in Ardeatino. 217
Turnus rex Rutulorum Ardeæ regnat. 166. ejus geſta. *ibid. & ſeqq.* mors. 175. cultus apud Ardeates. 207

V

Vellejus Senator Lanuvinus Philoſophus Epicureus. 129
Veneris templum utrum Ardeæ fuerit. 204
Vertumni ara in agro Lanuvino. 33
Via Ardeatina eadem ac Numicia. 223. *& ſeqq.* eadem etiam Severiana dicta. 227
Villa Priapi in Ardeatino. 216
Villæ Ardeatinæ per hiemem a Romanis frequentatæ. 215. earum pictura Ardeæ in templo Junonis. 200
Villæ Romanorum in agro Lanuvino olim frequentiſſimæ. 90
Villarum fragmenta & rudera quamplurima exſtantia in Ardeatino. 216

TABULÆ MONUMENTORUM AC RUDERUM

In quibus Lanuvii & Ardeæ ædificiorum aliqua adhuc apparent vestigia, in his libris expressæ.

LIBRO DE LANUVINIS.

Tab. I. PROSPECTUS *Antiquæ Urbis* 1 *Lanuvii*, *nunc* Civita Lavinia, *in sinistro* 2. *Appiæ Viæ latere Septemtriones & Occidentem Solem spectantibus, ex* 3. *Ponte vulgo* di S. Gennaro; *juxta* 4. *Oppidulum ac* 5. *templum ejusdem nominis dirutum*. Pag. 12.

Tab. II. *Locus olim* Sub Lanubio *dictus, ubi Diversoria, & Emporium Lanuvinorum; in dextero latere Appiæ Viæ, in Orientem Solem spectantibus; nunc* S. Gennaro. Pag. 12.

Tab. III. *Ruderum celeberrimi Junonis Sospitæ Templi apud Lanuvium, in fundo Caroli Bonelli, Prospectus*. Pag. 86.

Tab. IV. *Larva* 1. *antiqui operis marmorea Satyrum repræsentans, ex qua fons aquæ defluit, muris Lanuvii oppidi infixa.*

2. *Saxum, pumicis instar, foramine & canaliculo distinctum, cum plurimis similibus repertum in vetusto sepulcro, apud Junonis Sospitæ, Lanuvii.*

3. *Vasculum ex argilla, eodem in sepulcro cum aliis ejusmodi inventum, ad lacrimas vel ad unguenta*. Pag. 94.

Tab. V. *Vetus sepulcrum marmoreum in Oppido* Civita La-

Lavinia, *ante Sacram Ædem Principem.* Pag. 94.

Tab. VI. *Fragmentum antiquæ coronidis, quod modo visitur muro insertum in Oppido* Civita Lavinia; *loco qui dicitur* La Pescaría. Pag. 94.

Urna antiqua marmorea in eodem Oppido exstans, juxta Portam & Mœnia jamdudum publico fonti inserviens.

Tab. VII. *Rudera veterum Ædificiorum in Villa Lanuvina Antoninorum olim Imperatorum, quæ in Villa Ducis Cæsarini, prope Cynthianum, juxta Viam Appiam adhuc exstant.* Pag. 94.

Tab. VIII. *Fragmentum marmoreæ tabulæ eleganter insculptæ antiqua cœlatura, nuperrime effossæ in ruderibus Villæ Lanuvinæ Antoninorum; in qua quadrigarum circa metas cursus repræsentatur.* Pag. 94.

Tab. IX. *Aquæductuum vestigia in Villa Lanuvina Antoninorum Impp. prout nunc visuntur, prope Cynthianum, in Villa Ducis Cæsarini.* Pag. 94.

Tab. X. *Collis, Cynthianum inter* 1. *& Lanuvium, vetustis Ædificiorum vestigiis celebris, vulgo* 2. Le due Torri. Pag. 94.

Tab. XI. *Lanuvinarum Familiarum Romæ illustrium Nummi.* Pag. 124.

Tab. XII. *Nummi in quibus Juno Sospita Lanuvina repræsentatur.* Pag. 124.

Tab. XIII. *Nummi in quibus Juno Sospita Lanuvina repræsentatur.* Pag. 124.

LIBRO DE ARDEATIBUS.

Tab. XIV. PROSPECTUS *arduæ rupis & murorum vetustissimæ Urbis Ardeæ, in Meridiem & Occidentem Solem spectantibus.* Pag. 164.

Tab. XV. *Prospectus arduæ rupis, supra quam nunc & olim Ardeæ Urbis mœnia constructa sunt, in Septemtriones spectantibus.* Pag. 164.

Tab. XVI. *Monumentum antiquum adhuc exstans Ardeæ in Ædibus Principum quondam Sabellorum.* Pag. 234.

Or-

Ordo collocandarum Tabularum.

(quas, ut vides, ære inciſas, & chartis impreſſas Roma Auctor ad nos miſit.)

Tab.	I.	Pag.	12.
Tab.	II.	Pag.	12.
Tab.	III.	Pag.	86.
Tab.	IV.	Pag.	94.
Tab.	V.	Pag.	94.
Tab.	VI.	Pag.	94.
Tab.	VII.	Pag.	94.
Tab.	VIII.	Pag.	94.
Tab.	IX.	Pag.	94.
Tab.	X.	Pag.	94.
Tab.	XI.	Pag.	124.
Tab.	XII.	Pag.	124.
Tab.	XIII.	Pag.	124.
Tab.	XIV.	Pag.	164.
Tab.	XV.	Pag.	164.
Tab.	XVI.	Pag.	234.

	Errata	*ſic*	*Corrigito.*
Pag. 14.	*lin.* 9.	Lanuvioorum	Lanuvinorum
66.	*ante lin.* 28.	*deſunt hæ litteræ*	S. I. M.
165.	*lin.* 8.	quos (*in aliqq. exempl.*)	quæ
176.	*lin.* 27.	dictum. Rutulos	dictum; Rutulos
182.	*lin.* 31.	cœpere	cepere
234.	*lin.* 3.	Non times detur.	Non times, detur.

PATAVII. CIↃIↃCCXXXII.

EXCUDEBAT JOSEPHUS COMINUS.

ECIAC 93-B
.S43
v.5

THE GETTY CENTER
LIBRARY